

6

Assertiones iuridicæ
EX COMMUNI
IVRE FEVDORVM DE-

SVMPTAE, ET PRÆCIPVA CAPITA TOTIVS
materiæ feudalis complectentes. Quas CHRISTI Redemptoris
nostri implorato auxilio: Consentientibus DECANO, cæterisq;
Iuridicæ facultatis Doctõribus, & Professoribus Catholicæ, ac
celeberrimæ Academiæ Wirtzburgicæ. Præside Clarissimo, &
doctissimo VIRO, SEBASTIANO HELMARIO, I. V. Doctõre,
Reuerendissimi, atqûe Illustrissimi Principis, ac Domini, D.
IVLII EPISCOPI HERBIPOLENSIS, nec non ORIENTALIS
FRANCIÆ DVCIS, &c. Consiliario, & Pan-
dectarum ordinario Professore, publicè de-
fendet nobilis Iuuenis

IOANNES SIGISMVN-
DVS STINGELHAIMER, IN THVRN-
tenning. Boius, Iuris Studiosus.

•••

In auditorio Iuridico die 10. Sep-
tembris, hora septima vsqûe ad decimam, &
prima vsque ad quartam.

WIRTZBURGI,
EXCVDEBAT HENRICVS AQUENSIS.

ANNO cl. l. XXCIIX.

ASSERTIONES IVRIDI- CAE DE FEVDIS.

Materiam Feudorum, illam sanè & vtilem, & quotidiana, quam nobis disputandam sumpsimus, in hæc capita commodissimè diuidi posse arbitramur; Vt in primis, vndè ipsum nomen Feudi descendat, ac originem trahat, mox quid sit feudum, deinceps, quomodò diuidatur: Consequenter, quæ personæ feuda dare, quæue illa accipere queant, Præterea quæ res in Feudum dari possint, post hæc, quibus modis feuda constituâtur, & acquirantur. Ad hæc, qui sint effectus feudorum: deniq; quibus ex causis, feuda acquisita rursus amittantur, & ad quos am illa reuertantur, differamus.

DE ETYMOLOGIA FEVDI, THESIS PRIMA.

Feudum Obertus autor libri Feudorum, à fidelitate, vel fide, & rectè nostra opinione deduxit, ob excellentiam fidei, quam illi, qui rem à domino in Feudum accipiunt, ipsi domino maximè seruare tenentur. Quod quidem feudum, non rarè in libro feudorum beneficium, quod nos propriè accipimus, dicitur.

DE ORIGINE FEVDORVM, THESIS II.

Vndè autem Feuda originem traxerint, magna Doctorum contentio est: dum alij eam inde ab vrbs, populiq; Romani moribus: alij verò aliunde, & ab illo ipso Iure consuetudinario, quod in vsu Feudorum libris habetur, originariò deducere conantur. Et quoniam, suæ opinionis probabiles, & persuasivas duntaxat afferunt rationes, vtramq; vt probabilem, siue hanc, siue illam malueris defendendam susceperimus.

DE DEFINITIONE FEVDI, THESIS III.

Obertus de Orto, feudi definitionem vnã ponit, quam vt exactam, ac legitimam, prout plerasq; aliàs à feudistis traditas, probare nõ possumus. Et quia hac in re definienda, tot fermè sunt sententiæ, quot capita, teste Franci: Curcio nobis illa à Iacobo Cuiatio allata definitio Feudi, quod sit ius prædio alieno, in perpetuum

petuum utendi, fruendi, quod pro beneficio Dominus dat, ea lege, ut qui accipit, sibi fidem, & militiæ munus, aliud uero seruitium exhibeat, præ cæteris magis placet.

IIII.

Ibidem. Quemadmodum & illud Cuiacij assertum, feudum non esse dicendum contractum, sed potius ius, quod per contractum constituitur, dum scilicet dominus id per inuestituram cedit, quæ cessio, datio est, ea lege, ut qui accipit fidem, & seruitium danti semper exhibeat.

De quibus DD. in proë. feud.

DE DIVISIONIBVS FEVDORVM.

V.

Feudorum diuisiones, cum per plures sint, nos aliquas earum, & quidem potiores, ac utiliores afferemus. Prima itaque sit ista: *Iacob. Alua. in 5. diuis. Iaf. in II.* Quod feudorum aliud Ecclesiasticum, aliud Seculare sit. Ecclesiasticum illud, quod ab Ecclesia, Seculare, quod à Seculari, seu laico Domino datur, esse dicimus: Illud uero, quod Ecclesia à laico suscipit, vel ex proprijs Clerici bonis patrimonialibus datur potius in numerum secularium, quàm Ecclesiasticorù feudorum referimus.

VI.

Pet. Rebus. in arbor. diuis. feudo 2. diuis. Fracis. Curt tracta. feud. parte 1. q 8. Secunda diuisio sit. Quod aliud sit Regale, aliud non Regale. Regale illud esse asserimus, quod est dignitas, Marchia, ducatus, comitatus, vel similis, & immediatè ab Imperatore, vel Rege recognoscitur. Non Regale, quod ab inferioribus à Principe, vel Rege, vel si à Principe, non tamen consistit in dignitatibus, recognoscitur. Cui diuisioni non absimilis est illa, Feudorum aliud esse nobile, inde dictum, quod suum possessorem nobilem efficiat, aliud *Iacob. Alua. Pet. Reb. in 2. diuis.* Burgense, seu ignobile, quod suum possessorem non nobilem reddit.

VII.

C. 1. de feud. nõ hab. prop. nat. feud. Bald. in 4. Aluar in 3. diuis. Tertia diuisio feudi esto. Aliud esse proprium, aliud improprium, seu ut Obertus loquitur, aliud propriam naturam feudi, aliud impropriam habet. Feudum autem propriam naturam (quæ est quædam qualitas innata à principio generationis feudi, ex qua virtus contractus proficiscitur, & semper regulariter, nisi per pactum improprietur, inesse videtur) pluribus modis habere dicitur: Propriam, uerbi gratia, illud, quod ad fœminas, vel quoscunque

cunquē hæredes etiam extraneos, vel quibus Vafallus dederit, non fit transitorium, si sine culpa semel datum Vafallo auferri nequeat. Si Vafallus ad seruitia indeterminata teneatur: E contrariò verò impropria: si huiusmodi proprietatis feudo abesse dignoscitur, vt quia ad fœminas, vt feudum maternum, & fœmineum, vel ad nullos hæredes, vt Guardia, & Castal: vel ad quoscunque etiam extraneos, vt si hoc pacto comprehensum sit, transitorium est, vel si sine culpa auferri potest, vel ad determinata seruitia Vafallus tenetur.

VIII.

Quarta diuisio sit. Feudorum aliud nouum, aliud paternum, *Rebus. in 4. diuis. 2. af. in 2. par. ep. feud. in 7.* aliud antiquum esse. Nouum est, quod habet initium in persona primi inuestiti, nec provenit à successione progenitorum. Paternum quod à patre, vel ab aliquo ascendente communis agnationis vsquē ad quartum gradum est acquisitum. Quod si ab aliquo vltioris gradus acquisitum fuerit, iam non paternum, sed antiquum dicetur, licet non rarò vnum pro altero ponatur.

IX.

Quinta diuisio. Feudum aliud est masculinum, aliud fœmininum. Masculinum est, quod, vt regulariter omne, ad masculos tantum, non autem ad fœminas transit. Fœmininum quod etiam ad fœminas transit. *Rebus. in 6. Iacob. de 3. Georg. in sua inuest. in verbis in feud. in 5.*

X.

Sexta diuisio, est illa vtilis, & quotidiana. Aliud feudum hæreditarium, aliud non hæreditarium, seu ex pacto, & providentia concedentis. Hæreditarium quidem feudum non vno, sed duobus modis dicitur. Primò illud, quod, quia ad quoscunque etiam extraneos hæredes transit, ita, vt in illo sat sit, si successor, volens succedere, sit hæres defuncti Vafalli, nec alia requiritur qualitas, quemadmodum in illo feudo, quod quis pro se, & hæredibus quibuscunque acceperit, contingit. Altero, id hæreditarium dicitur, de cuius natura est, vt quis succedere volens, licet à primo acquirente descendat, non possit tamen, nisi etiam hæres sit, & sic in illo feudo, ista qualitas scilicet: quod sit hæres, ad hoc vt admittatur ad feudi successionem sufficit. Sed in hoc requiritur quidem, sed non sufficit. Et hoc feudum, neque simpliciter hæredita-

reditarium, neque simpliciter ex pacto, & prouidentia dici potest, cum vtraque qualitas, & quod filius, & quod hæres sit, requiratur. Vt si feudum quis, pro se, & filijs, & hæredibus acceperit. Ex pacto, & prouidentia illud dicitur, in quo ex tenore inuestituræ solummodò descendentes, ipsius primi acquirentis, vtpotè quando concessum est, pro se, & filijs, vel pro se, & liberis, vel simili modo, succedunt, & admittuntur etiam si ipsius acquirentis hæredes non existant, & hoc feudum, fortè rectius familiare dixeris.

XI.

Rebu. in 14.
Paul. Pic. in
proö. nu. 156. Septima diuisio. Feudorum quoddam Francum, seu liberum, quoddam non francum seu non liberum. Francum illud esse asserimus, in quo Vassallus à Seruitijs quidem liber, & immunis: sed tamen non à fidelitate, & maleficijs, consistentibus in tacendo fraudem imminentem domino, vel in committendo feloniam. Non Francum illud, vbi Vassallus, vti regulariter fit, à seruitijs exhibendis non est exemptus.

XII.

Aluar. in 9.
Ias. in 12. Octaua diuisio. Quod aliud diuiduum, aliud indiuiduum fit; Diuiduum illud, quod diuidi, vt regulariter omne, potest: Indiuiduum, quod diuidi non potest, vt feuda dignitatum puta, Marchia, Ducatus, Comitatus, &c.

XIII.

Aluar. in 14.
Reb. in 19 Nona diuisio. Aliud feudum in curte, seu Curia Domini, aliud extra eam esse. In curte erit illud, quod dominus alicui in villa, seu territorio, in quo dominium, vel possessionem habet, ita quod omnes coloni fructus ad domum, seu Curiam dominicalem ibidem existentem deferre necesse habeant, concedit, retenta maiore parte illius villæ, seu territorij. Extra curtem verò erit, quando dominus non habet dominium totius villæ, seu territorij, sed possessiones pro maiore parte sunt aliorum, ita vt ibi curiam propriam non habeat:

XIIII.

Ias. in 14.
Alua. in 22.
diuis. Decima diuisio, Feudorum aliud corporale, aliud verò incorporale aliqui esse asserunt, quam diuisionem nos non tam feudi, cum illud sit ius quoddam incorporale, quam rerum, in quibus ipsum feudum consistere dicitur, esse arbitramur.

DE

DE HIS, QUI FEUDA DARE POSSUNT.

XV.

Porro quod ad personas, quæ feudum dare possunt, attinet: nos cum quilibet in re sua sit arbiter, & moderator, & eam alienandi habeat potestatem, nisi iure, aut facto prohibeatur, & infeudatio, sit quædam alienatio, omnes personas, tum Ecclesiasticas, tum seculares, viros & foeminas, quæ plenam, ac liberam bonorum suorum habent administrationem, & quæ res suas neque iure, neque facto prohibentur alienare, hodie feuda dare, siue per se, siue per procuratorem suum, posse existimamus; licet olim non omnibus passim feuda dare permittebatur, sed certis, dumtaxat personis, quibus aut dignitas, aut nobilitas, aut consuetudo antiqua tribuebat.

De quibus DD: in c. 1. de his qui feud. dar. poss. in c. 1. Episc. vel Abb. in c. 1. de cleric. qui inuest. se. l. in re C. mand.

dict. ca. Clau. Seif. hoc tit. in suo spec. fe. § 3. Bal. b. in pr. c. 1. s. sum. per quos fiat inuestit.

XVI.

Excipiuntur ab hac regula plures personæ, quæ feuda dare prohibentur: Et quidem primò prohibentur principes, ea, quæ sunt regni sui, nisi sibi retineant superioritatem, in feudum dare; ipsi enim à se abdicare, & vt feudistæ loquuntur, expropriare omnem Iurisdictionem, & superioritatem, & hoc maxime, si rem magnam, vel etiam non ita magnas, sed crebrò, in feudum darent, vt per hoc principatus enervaretur, nisi causa subesset, quam in dubio præsumimus, non possunt.

Bal. in procl. feud. in 1. diuis. & ibi Ias. Versic. iuxta hanc.

DD. in c. intell. xim. de iureiur. vbi par.

XVII.

Prohibentur etiam hodie generaliter personæ Ecclesiasticæ feudum de rebus Ecclesiæ, nisi antiquitus fuerit consuetudo dandi, quo casu etiam si iuratiissent, se res Ecclesiæ non alienaturas, tamen feuda dare, & quidem suis etiam propinquis consueto modo possent. Et si modum, seu formam in dando exceßerint, dationem non in totum, sed solùm in excessu, non valere posse arbitramur.

d. c. 1. qui feud. dar. pos. & d. c. 1. Episc. vel Abb. c. 2. vbi gl. ext. de feud.

Iac. de Belu. hoc tit. vers. queritur si consuetudo.

Bal. et Paul. Pic. in d. c. 1.

XVIII.

Sed an Capitulum alicuius Ecclesiæ, sede vacante, poterit infeudare res ad ipsius Ecclesiæ mensam deuolutas casu quo Episcopus posset? & nos non posse censemus.

Claud. Seif. hoc tit. § 2.

XIX.

Quæ autem ad consuetudinem res Ecclesiæ infeudandi requirantur, an tempus longum decem, vel viginti annorum, an
b longius

Tit. Clar. § feud. 9. 13. lib. 4. sent. Iacob. de Bel. hoc tit.

De his tex. c. 1. § personā ubi DD. per quos fiat investit. d. § personam ubi DD.

Ioan. Blanc. in sua summa feu. hoc tit. & Claud. Seif. in suo specu. eod. tit.

De hoc c. 1. § sciendum ubi DD. de feud. cognit. c. 1. § sed & res, per quos fiat investit. d. § sed & res à contrario sensu Seif. suo spec. feud. hoc tit. Tac. Ardiy in sua summa feud. eod. tit.

c. 1. § similiter de leg. Conrad. c. 1. § beneficium. Si de feud. defuncti cor. c. 1. qui feud. dari poss. c. 1. Episc. vel Abba. c. 1. qui succes. te. neant ubi Matth. de Afflic. & Bal.

longiùs, triginta, an quadraginta, an verò longissimū immemoriale, vel centum annorū, an & alia requisita ad consuetudinē, inducendam necessaria? Nos, quia infeudatio est quædā alienatio, cum alijs consuetudinis requisitis ad infeudandi consuetudinem res Ecclesiasticas requirimus tempus longius quadraginta annorum.

DE HIS, QUI FEVDA ACCIPERE POSSVNT.

XX.

Feuda autem accipere omnes illi, & Ecclesiastici, & Seculares poterunt, qui hoc facere prohibiti non inveniuntur, etiam si in potestate alterius, vel in dignitate, siue extra eam constituti sint: Item quæ. siue per se, siue per alium procuratorem. Prohibitos autem eos putamus, qui sunt inhabiles, & incapaces ad acquirenda feuda, tali inhabilitate, & incapacitate, circa quam infeudans dispensare nequeat, puta quia hæreticus, deportatus, Spurius à patre naturali, & similes.

QVAE RES IN FEVDVM DARI QVEANT.

XXI.

Res omnes in feudum dari possunt, nisi ex alienari, & in feuda dari prohibeantur. Prohibentur verò in feudum dari, vel propter repugnantem naturam feudi cum talibus rebus, vt quia mobiles sunt, vel propter naturam, & qualitatem rei, quæ vel non est in commercio hominum, vel in totum, vel eius, cui feudū dari deberet, vt quia in eum transferri prohibetur, vel propter ius, seu utile dominium, quod iam alius in re concedenda in feudū habet, eò quòd tunc dare cupiens, illud in accipientem transferre nequeat.

XXII.

Illam tamen prohibitionem alienationis, non ita generaliter accipimus, vt quæ res prohibetur alienari, non possit infeudari: sed restringimus, vt licet feudum, & res Ecclesiasticæ alienari prohibeantur: attamen illud subinfeudari, & hæc, si solitæ, & consuetæ sint, in feudum dari queant. Quemadmodum & illud, quod sub fine præcedentis conclusionis diximus, declaramus, vt laicus quidem dominus, feudum sui militis, quod ad se post mortem eius reuerti sperat, alij militi, purè quidem non, sed sub conditione, vel tempore, quo nullus possidet, etiam sine consensu ipsius militis, feudum possidentis, infeudare possit, quam inuestituram, non solum ipse dans, sed & eius hæres adimplere cogitur. Ecclesiasticus

fiat tunc verò, feudū ab altero possessum, sub tempore, vel conditione, qua sibi illud aperiatur, in feudum dare potest, ita vt ipse, si feudū sibi aperiatur, possessionem tradere, & inuestiturā adimplere compellatur. Successor verò non, nisi Vasallo feudū possidente, consentiente in possessionē feudi, inductus sit secundus Vasallus.

QVIBVS MODIS FEUDA CONSTITVANTVR ET ACQVIRANTVR.

XXIII.

Quot, & quibus modis feuda constitui, acquiri valeant non modò Doctores feudistæ, sed & textus Iuris feudalis non videntur concordare; nos hos quatuor, inuestiturā, successionem, id quod pro inuestitura habetur, & deniq; præscriptionem ponimus.

XXIII.

Primus modus est inuestitura, quæ duplex est, alia propria, alia impropria, seu abusiua. Propria inuestitura dicitur possessio; hoc est corporalis possessionis feudi traditio, & apprehensio, quæ fit cum dominus, vel ipsius procurator, Vasallum suum, vel eius procuratorem in possessionem feudi realiter inducit. Et quidem cum feudum longiùs à pluribus dominis, per subinfeudationem processit, inuestitura faciendā, & accipiendā est, cum domini mei dominus meus non sit, non à mediato, sed ab immediato domino.

XXV.

Debet autem inuestitura noui feudi, à domino laico, coram duobus paribus Curia (si modò dominus pares habeat, in tantum, vt si pares absint, expectandi sint) fieri, aliàs etiam si mille extranei testes adhibeantur, feudum non constituetur. Et hoc extendimus, vt non modò ad constituendum nouum feudum, sed etiam ad probandam noui feudi inuestituram pares Curia, qui eidem interfuerunt, sint necessarij, & hoc ita nisi in Curia Mediolanensi, vel nisi pares, coram quibus facta est inuestitura, iam decesserint, vel nisi instrumentum paribus confirmatum, quo æquè probatur inuestitura noua, amissum fuerit, vel nisi, cum dominus priùs inuestituram factam negat, & postea delato sibi iuramento, ad defectum solennitatis, quod non sit coram paribus facta, confugerit. Vel nisi Vasallus, aliud feudum ab eodem domino, de quo nulla est controuersia, habeat, etiam si Vasallus non sit in possessione feudi controuersi, sed sufficit, si iuret, se inuestitum, nisi

b 2

domi-

c. 1. de cleric. qui inuest. sec. c. moribus si de feud. de. sunt. con.

De his c. 1. § sciendum vbi DD. de feud. cognit. c. 1.

quibus mod. feud. cōst. pot. c. 1. de cōsuet. restif. c. vtrubi; DD.

Ioan. Blanc. in sua summa hoc tit.

c. 1. quid sit inuest. iuncto. c. 1. vers. item inuesti: de notis feud. c. 1. § sed vtrū, per quos fiat inuesti.

c. 1. § illud de pro. lib. sen. aliē. per Fr.

c. 1. quid sit inuest. c. 1. quib. mod. feu. consti. pot. c. 1. de consuet. rest. feud. c. 1. qui rest. sunt necess. ad no. inuest. prob. vbi Bald. & aluar.

c. 1. § si verò si de inuest. feud. cont. fuer. iuncto § si cōstituerit de cōtron. inter Ep. & Vas.

dominus contrarium probauerit, vel denique, Vafallus domino
fciante, & non contradicente, spatium vnus anni in possessione
feudi fuerit.

XXVI.

*c. 1. Nulla per quos
fiat inuest. c. sed nō
est alia que fuit 1.
caus. ben. amit.*

Facta autem inuestitura, Vafallus cum reuerentia debita do-
mino fidelitatis iuramentum præstare cogitur, quod si facere de-
trectet, dominus si eum nondum realiter in possessionem feudi
induxit, illum inducere non tenetur; vel si induxit, feudum, eius-
que possessionem vindicare, vel condicere potest.

XXVII.

Formæ autem Iuramenti fidelitatis, in iure feudali plures
ponuntur. Vna in c. 1. de forma fidelitatis, vbi Obertus dixit eum,
qui domino suo fidelitatem iurat, ista sex semper in memoria ha-
bere debere, incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile,
vbi eadem explanat: alia est in c. 1. de noua forma fidelitatis, quæ
hodie ferè in omni curia videtur obtinere: hæc scilicet. Ego Ti-
tius iuro super hæc sancta Dei Euangelia, quod ab hac hora in an-
teà vsque ad vltimum diem vitæ meæ, ero fidelis tibi Caio domi-
no meo contra omnem hominem, excepto Imperatore, vel Rege:
Quod verbum, licet, si rectè intelligatur, nulla quidem indigeat
adiëctione, sed integram & perfectam fidelitatem contineat: ta-
men propter simplices & nominis significationis ignaros, idem
Obertus ibi interpretatur. Tertia forma habetur in c. 1. qualiter
iurare debeat Vafallus domino fidelitatem: videlicet hæc. Ego
iuro ad hæc sancta Dei Euangelia, quod amodò, in anteà ero fide-
lis huic, sicut debet esse Vafallus domino, nec id, quod mihi sub
nomine fidelitatis commiserit dominus, pandam alij, ad eius de-
trimentum, me sciante.

XXVIII.

*Mat. de Afflict. in
prot. feu. nu. 42.*

Nonnunquam autem, licet ipsa fidelitas remitti nequeat, Va-
fallus tamen fidelitatis iuramentum præstare non cogitur, vt si
hoc in inuestitura dictum sit, vel si feudum esset adeò modicum,
vt non verisimile sit, dominum in inuestiando Vafallum de iura-
mento fidelitatis cogitasse: vel dominus esset hæreticus, ex com-
municatus, proscriptus ab Imperatore vel Rege: vel dignitate de-
positus, & Vafalli à fidelitate absoluti: vel si admonitus à prælato
Ecclesiæ, terram suam infra annum ab hæretica prauitate purgare
neglexe-

neglexerit; vel si esset contra Regem, dominum superiorem Vasalli; vel ipse Vasallum suum offendisset.

XXIX.

Isto fidelitatis iuramento à Vasallo domino præstito, ipse dominus Vasallum in realem, & vacuam possessionem feudi inducere compellitur, quod si differat, omnem vtilitatem eidem præstabit: nec soluendo interesse liberabitur.

c. 1. § inuestit de noua forma fidi. li.

XXX.

Cautela tùm domino, tùm Vasallo ad multas lites, & contentiones præcauendas vtilis est, vt super tenore primæ inuestituræ nouæ, cùm ea sit radix, & fundamentum omnium sequentium, & mutari non debeat, absq; consensu eorum, quorum interest, scriptura, seu instrumentum publicum conficiatur.

Francis. Sospes. comment. in vsus feud. part. 9.

XXXI.

Renouatio inuestituræ feudi antiqui, licet cùm debita quoque reuerentia Vasalli erga dominum, & fidelitatis iuramento fieri habeat necesse: testes tamen pares Curix non necessariorum, sed alij, & quidem ad minus duo viri requiruntur.

c. 1. § de veteri qui test. sunt neces. ad no. inuest. proba.

XXXII.

Abusiuo autem modo dicitur inuestitura, quando Vasallo hasta, vel aliud corporeum quid porrigitur à domino feudi, se inuestituram facere dicente; quæ si quidem ab illo fiat, qui alios habet Vasallos, saltem coram duobus ex illis solenniter fieri debet, alioqui, licet alij intersint testes, inuestitura minimè valet. Ex qua inuestitura Vasallus non, nisi in præsentia rei feudalis fieret, possessionem feudi, sed licentiam propria autoritate eam vacuam ingrediendi, & apprehendendi nanciscitur. Si verò possessio vacua non sit, propria autoritate Vasallus eam capere non poterit, sed dominus eam, & quidem præcisè tradere, & si differat, emolumentum, & vtilitatem præstare, cogetur, nec soluendo interesse liberabitur: Secus tamen est, vbi dominus tantum, nulla inuestitura facta, promississet tantum dare feudum.

c. 1. quid sit inuest.

c. 1. ibi vade. de consuet. re. f. feu.

d. c. 1. in fi. de no. form: fidel. c. si facta. Si de feud.

desunt. cont. vtrouique DD.

XXXIII.

Hinc illud quæri potest, an si dominus duobus diuerso tempore feudum dare promiserit, & ei cui posteriùs promissio facta est, tradidit feudi possessionem, quis eorum præferendus sit, & an tunc l. quoties C. de rei vendic: locum sibi vendicet? Et nos fecundum,

gl. & ibi Bal. in d.

c. si facta. 2. af. in

6 par. epit. feu. nu.

12. And. de Iser.

in c. 1. qui succes.

feu. cõfir. t. c. co. 2.

cundum, cui posterius promissio feudi, sed prius facta traditio possessionis eiusdem est, primò præferri debere, & sic d. l. quoties in feudis locum habere statuimus.

XXXIII.

And. de Iser. in c. 1. quid sit inuest. col. 3.

Per l. prædia ff. de acq. vel omit. pos.

Mat. Afflic. in d. cap. 1.

Item & illud opportunè hic quæritur, vtrum si Vasallus vnus, vel plurium rerum feudalium possessionem apprehenderit, omnium possessionem adeptus esse dicatur? Et cum ea in re feudatarum sint opiniones; Vna, volentium, si Vasallus vnus rei feudalis possessionem ceperit, omnium adeptus dicatur: Altera hoc non sufficere credentium: Tertia distinguentium, vt si quidem concedatur castrum cum territorio, & sic vna res continens in se plures alias, & tunc recipiendo castri tanquam principalis, videatur etiam recepisse territorij, & eius pertinentiarum, quam posterio rem opinionem nos approbamus.

XXXV.

Francis. Curt. 2. p. q. 2. 4. quæstio.

Secundus modus, quo feudum acquiritur, est successio, per quem quidem feudum de nouo non constituitur, sed iam constitutum, apud Vasalli hæredes conseruatur, de quo paulò inferiùs plura differemus.

XXXVI.

e. 1. vers. in de de cõ sue. rect. feu. iũcta gl. ibi & c. 1. vers. si autem aliquis. si de inuestit. interd. & Vas.

Tertius feudi acquirendi, & constituendi modus est id, quod pro inuestitura habetur, videlicet, cum quis probat, se aliquid nomine feudi aliquo tempore (hoc est ad minus vno anno) tenuisse domino præsentem, non contradicentem, & seruitium eius, quasi à Vasallo recipiente: hoc enim casu, licet reuera inuestitura non intercesserit; tamen opus non habet iste Vasallus inuestituram probare, sed sufficet solum iurare, sibi concessum vt feudum; nisi dominus contrarium docuerit.

XXXVII.

c. si quis per triginta. si de feud. de. functi contro.

Quartus modus, qui pro inuestitura quoq; habetur, est præscriptio triginta annorum rei feudalis, cum scilicet quis aliquam rem vt feudum possedit, & domino seruitium exhibuit, etiamsi ea de re non sit inuestitus, tamen præscriptione triginta annorum se tueri potest, & perinde habebitur, ac si verè inuestitura intercessisset, & hoc casu, nec Vasallus possidens iurare cogitur, nec dominus contrarium probare volens audietur.

DE

DE FEVDI SVCCESIONE.

XXXVIII.

Quia constat quibus modis feuda constituantur, & acquirantur, & parum sit nos ea acquirere, nisi sciamus quomodo illa conferentur, retineantur, & ad nostros hæredes transmittantur, nos de feudorum successione, per quam illa conferantur, & ad posteros, hæredesquæ nostros transferuntur, quædam dicere, & cum iure civili quinque gradus successioneis, primus descendenti-um, secundus ascendenti-um, tertius collateralium, quartus coniugum, quintus fisci constituti sint, qualiter secundum eosdem feuda quoq; deferantur, declarare, non abs re erit.

XXXIX.

Primus succedendi gradus est descendenti-um, in quo talem statuimus conclusionem. Quod liberi masculi ex legitimo, vel putatio, ubi subest error facti contrahentium, vel post liberos iam natos subsequente matrimonio descendentes à primo feudi acquirentore, & eorum etiam descendentes masculi prædicto modo orti in infinitum, non attento, quod ab ipso ascendente defuncto inæqualiter hæredes instituti, vel præteriti, vel filij: vel emancipati, vel germani fratres, vel non, modò consanguinei, & agnati, vel hermaphroditi dum tamen in sexu virili præualeant, sint, in feudis etiam dignitatum, & quidem ita, ut qui primo sunt gradu, in capita, illi qui secundo vel vltiori in stirpè succedant.

XL.

Illam autem consuetudinem, ut si quis habens filium ex nobili coniuge, post mortem eius, non valens continere, aliam minus nobilem ducat, ipsam ea lege desponsando, ut nec ipsa, nec filij eius amplius de bonis patris habeant, quàm dixerit tempore sponsaliorum. verbi gratia. decem libras, vel quantum voluerit dare (quod Mediolanenses dicunt, accipere vxorem ad Morganicam, alibi lege salica) tales filij, etiam alij non existentibus patri non succedunt in feudis; cum plena sit iniquitatis, non nisi Mediolani, & ubi specialiter viget talis consuetudo, locum sibi vindicare putamus.

Filios

De hac. c. 1. § Et quia qui feu. dar. pos. c. 1. de succes. frat. vel gradi. c. 1. de nat. succes. feu. c. 1. de succes. feu.

Distis iurib. Cur. in 3 par 2. memb. 1 part. Sonspec. in 9 parte. Præ. pos. & Bald. in e. naturales. Si de feud. defunct. 2 af. 8. parte.

c. 1. in fin. de alien. feud.

De filijs nat ex mat. ad Morga. contra.

*c. 1. § insuper de
prohib. feud. alie.
per Frid. vbi Bal.*

Filios autem, & descendentes, qui viuento Vasallo eo, cui ipsi iure in feudo succedere possent, talem culpam, ob quam feudo priuari possent, commiserunt, à feudi successione, nisi Vasallo, cui succedere volent, viuo, vel eo mortuo, parati sint domino pro offensa satisfacere, excludimus.

*Francis. Sosphec.
par. 12. sui cōment.
in vsus feud. vers.
defectu quoque.*

Eorum distinctio, qui quo ad mutos, surdos, cæcos, claudos, vel aliter imperfectos, distinguunt, an tales sint, vt ope medicorum sanari possint, vel non, vt illi quidem possint, hi verò non possint in feudo succedere, non caret ratione, ideoque ei non illibenter subscribimus; exclusis tamen, si feudis ablatis, se exhibere non valeant, & feuda magna fuerint, tantum relinqui, vnde se sustinere possint, debet.

*c. 1. § fin. Episco.
vel Abb.*

*Gl. in c. 1. § ex hoc
de benef. fami.*

Sed an & descendentes Clericos, & eos, qui votum religionis assumunt ab ascendentium feudorum successione excludemus? magna Doctorum, tam feudistarum, quam aliorum pugna est, dum alij eosdem admittere, alij verò contra excludere conantur: Nos excludentium opinionem de iure veriore esse censemus: Illud tamen quod de Clerico dictum est, non generaliter de omni, sed de illo, qui sacris ordinibus initiatus; Sicut & illud quod de feudo, de vero & proprio, ex quo seruitium personale, non de improprio, ex quo seruitium reale, putà par caponum, vel quid simile debetur: Item illud, quod de religiosis, de illis, qui ex hoc seculo transferunt ad Deum, non verò de ijs, qui Deo in armata militia contra infideles pugnant, vt Cruciferi, & si qui fortè alij sint, & sic non deposuerunt arma bellica, intelligi volumus.

*Francis. Sosphec.
12 parte. nu. 138.*

*c. 1. § predictis q̄
fuit i. caus. benech.
amit.*

Filios quoque, & descendentes, qui vnā illarum caussarum, ob quam vt ingrati, ab hæreditate paterna excludi possunt, matrimonia rectè contracta soluuntur, & donationes. iure perfectæ reuocantur, commiserunt, à feudi ascendentium successione repellimus. Qua de re plura inferiùs, vbi de feudi amissione disputabimus, dicemus.

Posses.

XLV.

Possessionem deniq; feudorum, ab ipsis ascendentibus mortuis in descendentes, etiam si in potestate sint eorundem, vel in alios agnatos, & successores, ipso iure non continuari verius est, opus itaque est, ut ipsi descendentes, succedere volentes, eam apprehendant,

*And. Gail. lib. 21
obser. 152. Ioach.
Myusing. obserua.
38. cent. 3.*

XLVI.

Quantum ad filias, foeminas, & earum descendentes, an & ipsae in feudis succedere parentibus, & ascendentibus possint, spectat, conclusionem negatiuam ponimus, quod ipsae, & earum descendentes, ad feudorum successione non admittantur, siue extant masculi, siue non; & hoc in feudo paterno, secus in materno, vel foemineo, ut quia primò per foeminam acquisitum, vel eo pacto concessum est, vel hoc loci consuetudo habet, ut foeminae succedant, tunc enim masculis non extantibus ipsae admitterentur. Quod tamen declaramus, ut si vel speciatim in receptione feudi dictum sit, vel specialis consuetudo loci, qualem nos in quibusdam locis esse nouimus, hoc habeat, ut foeminae, simul cum masculis succedere debeant, tunc ipsae simul, cum extantibus masculis, in feudis succedent.

*c. 1. § et quia. vbi
DD. qui sen. dar.
poss. c. 1. § filia de
succes feud. c. 1.
§ ad filias, desuc-
ces. frat. & grad.
c. 1. de nat. succes.
feud.
c. 1. § quin etiam
vbi Aluar. Episc.
vel Abba.*

XLVII.

Sed quid si, posteaquam istae foeminae, quae non extantibus masculis in feudo succedere debebant, & poterant, ab ipsis masculis semel exclusae sunt, & ipsi masculi excludentes praemoriuntur, an ad feuda rursus reintegrari, & admitti debebunt? hac in re non est concurs doctorum opinio, dum alij istas foeminas, semel exclusas, semper manere exclusas, alij verò eas licet exclusae semel fuerint, admitti volunt: Nos priori opinioni subscribimus, modò feudum non hoc pacto, vel conditione sit receptum, ut quam diu, quousq; vel donec masculi extarent, foeminae non succedant, vel masculus excludens subito moriatur. Ipsas autem foeminas semel ad feuda admissas, per superuenientes masculos, non priuari feudis, verius, & æquius esse putamus.

*Francis. Sonspec.
in 9. part. cõment.
in vs. feu. nu. 130.
Perc 1. § quin etiã
Episc. vel Abb. &
ibi And de Iser.
Bald. & Praepos.
Curt in 1. memb.
3. par. versic. 28.
quero tract. feud.*

XLVIII.

Secundus succedendi gradus est, ascendentium in bona descendentium succedentium. In quo talem regulam statuimus. Parentes, & ascendentes, utriusque sexus, ipsis descendentibus sine liberis defunctis, in feudis ex ipsorum natura non succedere posse:

*c. 1. vbi Afflic. Al.
& alij, de nat.
succes feud.*

c hanc

*Aluar in d.e.1.de
nat. sucef feud.*

hanc tamen regulam restringimus, vt pater, qui feudo in fauorem filiorum, vt ipsi se viuo inuestiantur, renunciauit, in illo, filijs, in quorum gratiam renunciauit, præmortuis, succedere valeat, etiam si in eum casum, successione expressè sibi non reseruauerit. Rursus declaramus regulam, vt non habeat locum in illis ascendentibus, qui quidem respectu Vasalli defuncti, sed non respectu primi acquiritoris ascendentes dici possent.

XLIX.

*l. cum oportet, § 1.
C. de bonis q̄ libe.*

Cæterum hîc non inutiliter & illud in quæstionem venit, cum nos parentes & ascendentes à feudorum descendentiũ successione repulerimus, & constet parentes, & ascendentes, qui filios, & descendentes in potestate habent, in ijs bonis, quæ descendentes sibi acq̄sierint, non ex substantia ascendentiũ, cuius in potestate sunt, sed ab alijs quibuscunq̄ue causis, exceptis castrensibus, & quasi, vsumfructum habere: an præfatos parentes, & ascendentes, vt à feudorum successione, ita ab eorundem vsufructu repellamus? Et tanè si descendens feudum, vt castrense, vel quasi castrense peculium, vt quia in castris, vel ratione eorum, vel quasi, fortè ex professione artium liberalium, vel ex administratione publicorum officiorum, vel à principe acq̄sivit, constat vsufructum talem non quæri ascendenti: sed si aliundè acq̄situm sit feudum, tunc aliqui feudistæ ascendenti ad vsufructum admittunt: Nos cum alijs repellimus, nisi descendens cum ascendente simul in domo, & mensa cohabitet.

*Francif. Curt. in
3. part. memb. 2.*

*Frider. Schenck.
Afflict. in c. 2. de
frat. de no. benef.
inuest.*

*c. 1. § et quia qui
feud dar. pos.
c. 1. de benef. frat.
c. 1. de frat. de no.
benef. inuest.
c. 1. § filia de suc-
ces feud.
Bald. c. 1. in fi. de
sucef. feud.
Sonspec in 9. part.
nu 82. Zas. in 8.
nu 24.*

I.
Tertius successione gradus est, collateralium, seu transuersalium. Quo in gradu istam primam conclusionem ponimus; quod deficientibus descendentiũ, collaterales superstites, collateralibus defunctis non succedant in feudo nouo, sed ipsum ad dominũ reuertatur, etiam si duo fratres, vna inuestitura simul, nisi vnusquisq̄; in solidum inuestiti essent, vel nili hoc pacto, vel consuetudine cautum esset, vel fratribus cohabitantiũ, illorum vnus, ex communibus bonis. seu ex proprijs, nomine vtriusq̄ue domino sciẽte, seu equis, & armis cõmunibus in hoste regis acq̄suerint.

LI.

*Sonspec. & Zas
vbi supra.*

Porro in illis casibus, in quibus, collaterales, collateralibus in feudis nouis succedere diximus, id vsq̄ue ad septimum gradum inclusiue procedere, sed non vltra putamus.

Alter

LII.

Altera conclusio in isto gradu fit: quod in feudo paterno, seu antiquo quod semel in acquirentis primi descendentes tran-
 uir, deficientibus descendibus, transuersales legitimi, agnati
 proximiores, à primo acquirente, seu stirpitis descendentes, in infi-
 nitum secundum gradus prærogatiuam succedant: ita quod in tali
 casu locum habeat regula illa. Vltimum agnatum primi acquiren-
 tis successorem esse, etiam si feudum per mille manus ambulauerit.
 Proximitatis autem prærogatiua, non ex vltimi defuncti possesso-
 ris feudi, sed ex primi acquirentis persona sumenda est, vt cui illo-
 rum, qui succedere cupiunt, proximior est, ille hac prærogatiua
 successione gaudeat.

*c. 1. de nat. succes.
 feud.
 Andr. Geil. obser.
 154. lib. 2.*

LIII.

Prædicta verò delaranda sunt: vt si v. g. Titij primi acqui-
 sitoris filij ita bona paterna diuidant, vt feudum apud vnum eorum
 tantum remaneat, vel alij eidem renuncient, in tali feudo istius
 vnus possessoris filij, & descendentes legitimi, & agnati, in infini-
 tum, quousque non defecerint, succedant, quibus deficientibus fra-
 tres renunciantes, vel eorum legitimi descendentes masculi proxi-
 miores, non obstante renunciatione facta, nisi forte omnino, &
 planè in omnem euentum, vel eum finem, vt frater, tanquam de
 nouo feudo inuestiretur refutatum esset, succedent.

*c. 1. de nat. succes.
 Zas in 8. par. nu. 5*

*c. 1. de eo qui fin.
 sec. agnat.*

LIIII.

Præterea licet in successione allodialium, & priorum
 bonorum frater vtriusque coniunctus, excludat fratrem ex vno la-
 tere tantum: In feudali verò successione, frater vtriusque con-
 iunctus, fratrem consanguineum, & agnatum, licet vno latere con-
 iunctum, cum in feudis iure cognationis non succedatur, non excludit.

*in Auth. de con-
 sang. & vier frat.
 And. Geil. obseru.
 151. lib. 2.*

L V.

Quod si Vasallus, defunctus reliquit non quidem descen-
 dentes, sed fratres consanguineos, & vnus, vel alterius præmortui
 filios, vel tantum præmortuorum consanguineorum fratrum filios,
 ex vno forte vnum, ex altero duos, ex tertio tres, &c. quomodo isti
 defuncto succedant queritur? & quidem in priori casu, fratrum præ-
 defunctorum filios priuilegio iuris representationis, cum patris
 suis in feudis, in stirpem. In posteriore verò casu fratrum filios in
 capita succedere debere iure verius esse existimamus.

*c. 1. §. his verò de
 succes. frat. & gra-
 dibus.
 Ioach. Mynsin. ob-
 seruat. 94. cent. 3.*

LVI.

*Sonsp. in 9 part.
conclus. 5.*

Sin autem Vasallus moriens reliquerit fratrum filios, & patrui suum, hoc est, patris sui fratrem, licet isti defuncto sint in gradu æquali, nempe tertio; tamen filij fratrum excludent defuncti patruum, qui eorum magnus patruus est. Quod idem quoque in fratrum nepotibus, pronepotibus; & vltioribus quoque locum habebit, vt eundem excludant.

LVII.

*Francif. Sonsp.
9 part. conclus. 8.*

Quod si verò defunctus collaterales descendentes ex primo acquirente vltra fratrum filios, quos iure repræsentationis cum patris suis in stirpem succedere diximus, reliquerit, ex ijs proximiores, & propinquiores gradu, remotiores in successione feudi excludent.

LVIII.

Ea, quæ de mutis, surdis, cæcis, claudis, vel alijs imperfectis: Item de Clericis, alijsque religiosis in primo gradu successioneis diximus, huc quoque referri poterunt.

LIX.

*Francif. Curt. in 3.
memb 3 pa tract
feud. q. 12.*

In illo autem feudo, quod quis recepit pro se, hæredibus, & successoribus quibuscunque, vel similibus verbis in inuestitura prima appositis, succedunt etiam inhabiles ad successioneis feudi.

LX.

*And. de Iser. c. 1.
§ et quia qui feud.
dar. posf.*

Denique graduum computationem, in materia successioneis feudi secundum ius Ciuile, & non Canonicum fieri debere asserimus.

LXI.

*Didac. Couar. c. 18.
lib. 2. varia. resol.
Arius Pinel. p. 3.
l. 1. nu. 85. C. de
hon. mater.*

Cæterum hic graue oritur dubium: Vtrum titulus, Anagnatus, vel filius defuncti, possit retinere feudum repudiata hæreditate, habeat locum in successione descendente, ac collateralium, & quomodo intelligatur: Nos quæstionem illam, & decisionem d. tituli, Anagnatus, &c. intelligendam putamus in feudo non hæreditario: in feudo enim hæreditario, tam filius, quam agnatus, vtrumque; & feudum, & hæreditatem, vel retinebit, vel repudiabit.

LXII.

*gl. & ibi DD. in
d. c. 1. an agna etc.
Sonsp. 9 part.
vers. quare relicf.*

In feudo verò non hæreditario filij, & descendentes non possunt acceptare feudum, repudiata hæreditate patris, vel ascendente: agnati autem collaterales spreta hæreditate feudum retinere possunt: Intelligi tamen volumus hoc, quod de filijs dictum est, in hæ-

in hæreditate damnosa; secus in hæreditate quæ soluendo est: tunc enim filius relicta hæreditate feudum acceptare poterit, & quamvis plerique velint, filium etiam tunc feudum repudiata hæreditate patris retinere posse, quando à patre præteritus, vel exhæredatus, dum tamen causa exhæredationis à feudo ipsum non excludat, vel in legitima tantum hæres institutus est, vel in vita patris, bonis paternis cum iuramento renunciauit: nos tamen, cum ea in re facile fraus committi queat, illorum sententiæ tunc demum, si in fraudem dicti tituli, An agnatus, vel filius, &c. à patre, aut filio nihil est actum, subscribimus.

LXIII.

In feudo autem hæreditario, satis nos esse arbitramur, ad hoc, *Arius Pinel. d. 3. part. nu. 91. Iul. Clar. § feudum q. 9.* ut quis tanquam hæres ad feudum admittatur, si sit hæres primi acquirentis, mediante persona suorum antecessorum.

LXIII.

Quoniam deficientibus ipsius defuncti descendentibus, ascendentibus, & collateralibus, qui ad ipsius hæreditatem admitti possent, & deberent, iure Ciuili, quarto vocantur Coniuges alter ad alterius prædefuncti hæreditatem. Hic merito quæritur, an & hoc in feudis sibi locum vendicet? qua in re negatiuam ponimus conclusionem: quod alter coniugum ad alterius prædefuncti feudum deficientibus alijs supra nominatis legitimis hæredibus, nisi specialiter hoc expressum, vel alter inuestitus sit, non admittatur.

c. 1. an marit. succed. vxor. in bens. vbi DD.

LXV.

Omnibus autem hæredibus legitimis ipsius defuncti deficientibus. Quinto & ultimo loco ad defuncti bona, tanquam vacantia iure Ciuili admittitur Fiscus. Quem tamen nos, etiam omnibus hæredibus feudalibus deficientibus ad feudi successionem non admittimus, sed ipsum feudum tali casu, ad dominum directum redire, dicimus.

Sonspec. in d. 9. p. conclus. vlt.

LXVI.

Illud quoque hic, cum disseruerimus de successione feudorum ab intestato, sub silentio prætereundum non est, quid iuris sit de successione feudorum ex testamento. Qua in re illud tenendum est, eam in feudis locum non habere, neque Vasallum quicquam in testamento, in præiudicium successorum suorum disponere posse: quod tamen in feudo non hæreditario, non autem in

c. 1. de succes. feud. c. 1. § donare. Qual. olim feud. alien. pot. c. 1. de prohib. feud. alien. per Fr. And Gail obseru. 154. lib. 2.

hæreditario locum habere plerique volunt, quod nos non indistinctè verum putamus.

LXVII.

c. 1. §. fi. vbi Mar. de Afflic. de eo qui sibi & hered. suis.

Frid Schenck. & alij in d. c. 1.

Vltimò & illud pro complemento materiæ successione feudorum adijcimus, quod domino in proprietate succedant omnes illi, qui ei succedunt in alijs bonis proprijs, siue masculi, siue feminæ, & siue sui agnati, & cognati, siue extranei sint; quod restringimus, vt in domino subinfeudante hoc non procedat: illi enim in iure superioritatis, quod penes se ex subinfeudatione retinuit, solum illi succedunt, quos superius ad feuda admitti posse, & debere diximus.

De primo Ias. And de Iser. Præ. pos. in præm feu.

DE EFFECTIBVS FEVDI, ET PRIMO

DE ACTIONIBVS.

LXVIII.

Effectus feudi, quia complures sunt, nos aliquos, & quidem insigniores recensebimus. Primus sit, quod ex feudi acquisitione nascatur actio, qua Vasallus contra dominum, & è contra, dominus contra Vasallum, & vtrique contra extraneos agere, & experiri possint; pro cuius effectus declaratione maiori aliquos casus considerabimus.

LXIX.

Ias. Præ. pos. & And de Iser. in d. loco.

c. 1. §. 1. de inuest. de re alien. fact vbi gl. Aluar. & alij.

Bald in c. 1. §. fin. col. 4. de probib. feud. alien. per Fride.

Primus sit: quando Vasallus vult agere contra dominum, & tunc aut ad tradendam sibi feudi possessionem vacuam, & si quidem cõtractus super feudo dando firmatus est stipulatione interposita, & actio ex stipulatu; Si verò non, tunc condictio ex lege, seu potiùs ex moribus feudalibus ei dabitur. Aut verò Vasallus iam habuit possessionem feudi, & tunc competit ei utilis rei vindictio, necdum contra extraneum, sed etiam contra dominum ipsum. Quod si autem Vasallus de domino conqueratur, eò quod exigat indebita, & vltra solitum modò seruitia, ei damus officiù iudicis.

LXX.

Præ. fati. DD.

vt per Ias in d. loco,

Secundus esto casus, quando dominus agit aduersus Vasallum, & tunc si dominus agit ad seruitia, & alia in concessione conuenta præstanda, vel actionem ex stipulatu, vel conditionem secundum distinctionem in primo casu superius positam, vel etiam conditionem causa datorum, causa non secuta ad repetendum feudum competere dicimus. Si autem dominus agit ad reuoca-

uocationem feudi, ex feloniam, culpauéamissi, variæ sunt feudistarum opinioniones, quæ actio competat: Nos actionem ex stipulatu, vel conditionem ex moribus, secundum ea, quæ iam dicta sunt, *d. 57.* domino dari putamus.

LXXI.

Tertius casus, ubi Vafallus agit aduersus extraneum, etsi quidem possessionem semel habuit, utilis rei vendicatio, & si iam habet, utile interdictum retinendæ possessionis, sed si possessionem habuit, sed iam non habet, ut quia ex ea expulsus est, interdictum recuperandæ possessionis, ei dandum erit. Si verò possessionem non habet, nec vnquam habuit, aduersus extraneum tunc agere non poterit, sed contra dominum, ut sibi possessionem vacuum tradat, inque eam se inducat.

Ioan. Sneider. in § retinendæ & § recuperandæ Inst. de interd.

LXXII.

Quartus casus est, quando dominus aduersus extraneum, vel tertium feudi possessorem vult agere, & siquidem Vafallus sciens, feudum alienando transtulit in alium, & per hoc perdidit, tunc varia remedia iuris domino, varij doctores competere asserunt, vel rei vendicationem, sed quia difficile est probare dominum, consultum est, ut potius aliquo interdicto, vel conditione, quibus auocetur possessio, utatur; alij dicunt competere conditionem ex moribus feudilibus; alij conditionem ex l. Imperialé de prohib. feud. aliena. per Fride. alij conditionem ex l. fin. C. de acquir. poss. Nos quo remedio potius uti conueniat, prudenti aduocato interrogato consulendum relinquimus.

Gl. & DD in c. 2. de cõtro. inter dõ. & empt. feud.

LXXIII.

Quintus casus est, quod si dominus, & Vafallus in agendo concurrant, & vterq; aduersus extraneum feudi possessorem agere velit, quis eorum alteri præferendus sit, quæstionis est? Et nos tunc Vafallum domino præferendum censemus: nisi dominus non super iure, & dominio utili ipsius Vafalli, sed suo directo: vel quia Vafallus feudum per alienationem, vel delictum amisisset, ad illud agere, & sibi apertum esse declarari petat. Si verò Vafallus nõ velit agere, dominus audiendus erit; nisi Vafallo ignorante, vel absente dominus agat: tunc enim Vafallo, & conuento consulendum esset practicando l. is à quo ff. de rei vendic. ut scilicet dominus conuento caueat, vel satisdet, de cõseruando ipsum, si Vafallus quoq; egerit, indemnem.

Aluar. in c. 1. § reã autem, de inuest. de re alie. fact. vbi Præpos. & alij.

Sextus

LXXIII.

*c. 1. vbi gl. & DD.
Si de feud. Vas. ab
aliquo interpel. fu.
c. 1. vbi gl. & DD.
de inuestit. de re
alien. fact.*

Sextus casus est, de actionibus accessorij, euictionis scilicet, redhibitoria, & quantò minoris; & quidem Vasallum ignorantem rem sibi in feudum datam esse alienam, scientem verò non, nisi pacto speciali sibi prospexerit de euictione agere posse certum iuris est. Hoc aliquot modis restinguitur: Vt si Vasallus litem sibi motam domino debito tempore non nunciauit, vt veniat ad se defendendum, vel sententia per arbitros, vel contra contumacem Vasallum fuisset lata, vel subinfeudati Vasalli dominus proximus sine legitimis hæredibus feudalibus moriatur, quo casu, feudum redibit ad primum dominum feudum dantem. Istis enim casibus, Vasallus non agit de euictione. Redhibitoriam, & quantò minoris actionem vtilem contra dominum Vasallo competere cum Baldo asseueramus.

*in l. 2. c. de adil.
actio.*

LXXV.

Septimus casus est de hærede Vasalli defuncti: & sanè si sit hæres, qui iure succedit in feudo, ad petendam renouationem inuestituræ, eam, quam ipse defunctus ad tradendam feudi possessionem, habebit actionem, & si quidem is in possessione feudi est in ea conseruandus, si verò non, in eam mittendus erit; etiamsi sit lis inter Vasallum, & dominum allegantem feudum per mortem defuncti Vasalli sibi esse apertum: vel inter Vasallum talem, qui licet regulariter non succedat in feudo: tamen neget feudum, & dicat allodium esse: Habebit quoque successor Vasalli ad consequendam possessionem feudi interdictum vtile, quorum bonorum, vel actionem in factum, in eius locum surrogatam. Quod si successor Vasalli est hæres scriptus in testamento defuncti, & aliàs erat defuncto immediatè ab intestato successurus, habebit quoque remedium l. fin. C. de edict. D. Hadria: toll. Item petitione hæreditatis poterit feudum ab eo, qui id detinendi non habet ius, petere: Successor tamen fideicommissarius, nisi sit de descendenti- bus defuncti, vel comprehensus in inuestitura, vel feudum sit transitorium ad quoscunquè hæredes, non poterit petere feuda sibi restitui.

*c. 1. si de feud. de-
funct. contro. sue.*

*Præpos. And. de
Iser. in d. c. 1.*

*Ias. in procl. feud.
nu. 43. & 46.*

LXXVI.

*Gl. in c. 1. § 1. de
Vas. milit. qui con-
tra. est.*

Octauò addimus & illud, Vasallum domino ob reuerentiam debere, vt contra illum nullam actionem infamantem, & multò minus

minus accusationem, vel delationem criminalem intentet; poterit tamen eum in ius, sine pœna veniæ prius à prætore non petiæ, vocare.

DE IURISDICTIONE, ET IUDICI-

BVS FEVDALIBVS,

LXXVII.

Secundus feudi effectus sit, quod contractus feudi initus, & impletus, tribuat Iurisdictionem & domino, & Vasallo, ita, vt suis in casibus super re feudali iudicare possint, pro cuius effectus pleniori intelligentia, quædam de iudicibus causarum feudali-um differenda erunt. Et quidem isti iudices in dictis causis esse possunt, dominus, Vasallus, ordinarius, arbiter, vel si quem consuetudo cuiusque loci specialis dat. Et quidem si loci consuetudo, vel statutum, vniuersalem, vel specialem in certis casibus dat iudicem, ille erit iudex dictis in casibus, cum loci consuetudo specialis deroget generali,

LXXVIII.

Verùm hoc non ignorandum esse putamus, litem super re feudali quatuor modis moueri posse: Inprimis inter duos Vasallos veros, qui etiam ab eodem domino alia habent feuda, vel partem, super quibus nulla est controuersia. Vel alter eorum, vel ambo sunt tantum asserti Vasalli, qui alia, quam de quibus est contentio, feuda ab eodem domino non habent, secundò inter dominum, & Vasallum, tertio inter Vasallum, & extraneum, quarto demum inter dominum, & extraneum.

LXXIX.

Primo modo si controuersia sit inter veros Vasallos super feudo toto, vel eius parte, vel pertinentijs, dominum iudicem constituimus solum, sine partibus Curia, etiam si Vasalli sint Clerici, & dominus laicus: dum tamen quaestio etiam civilis sit, vel quando duo, qui quidem non habent aliud ab eodem domino feudum, contendunt de eadem re feudali, prætendentes esse feudum antiquum, & progenitorum suorum ab eodem domino, quo casu dominum, non quidem solum, sed cum Curia iudicem esse asserimus. Et sanè ijs in casibus, in quibus dominus vel solus, vel cum Curia, vel solius Curia pares iudices sunt cogi, iuris remedijs, non tamen vt suspecti, regulari poterunt.

c. 1. § sed est. que fuit j. causa. benef. amitt.

De his DD in c. 1. apud que vel quos & c. c. 1. de contro. feud. ap. par. serm. in c. 1. de inuest. in mari. fact. et alib. c. 1. apud quem vel quos. & c. c. 1. de leg. Conrad.

Iacobin. de S. Georg. in inuest. feud. verb. Et dicti Vas. pro dictis reb.

Francis. Sonspe. 14 parte coment. in vsus feud.

c. 1. apud quem vel quos, & c.

c. 1. § prætere de prohib. feud. ali. per Frid.

Panor. & Dec in c. ceteri. x. de iudi. c. 1. § illud de inuest. sit in mari. fact. Zas 11. part. nu. 8. Iacobin. in verb. Et dicti Vas. nu. 14 Idem Zas d. loco. nu. 25.

d

Restrin-

d. c. 1. apud quem
vel quos &c.

Restringimus tamen id, quod diximus dominum esse iudicem, ut si quidem contentio sit inter Vafallos, qui sunt regni, vel Regis Capitanei, quales sunt, Duces, Marchiones, Comites, &c. non dominus, sed Imperator sit Iudex. Item si non ambo, inter quos est lis, veri, sed vtrique, vel saltem alter eorum asserti sint Vafalli, nullum aliud non controuersum ab eodem domino feudum habentes, non quidem dominum, sed pares Curia: solos iudices constituimus.

c. 1. de lege Cōrad.
Curt. 7. p. limit. 1.

c. 1. § Si inter. &
DD. de lege Cōra.

c. 1. vbi DD. de in.
uest. in mari fact.

Zaf. 11. part. con.
clus. 4.

Curt. 7. part. vers.
3. fallit.

Sin autem de vtroque litigantium dubium sit, quis eorum sit Vafallus, ut quoniam ambo prætendunt inuestituram nouam alicuius feudi, siue ab eodem, siue à diuersis dominis factam, vel constat alterum non esse Vafallum, tunc ordinarium, vel arbitrum electum, iudicem esse dicimus. Itidem, si alter litigantium, assereret feudum antiquum, alter nouum, qui à domino causam haberet, dominus, quia sua interesse posset, non erit iudex, sed rursus ordinarius, vel arbiter. Quod si verò domini interesse non possit, fortè quia in feudi noui partem pecunia accepta non sit, tunc pares Curia:, sine domino iudices erunt, ut & illo in casu, in quo alter contententium dicat feudum antiquum, alter verò proprium, & allodiale suum, licet iure antiquo, vel ordinarius, vel arbiter cognoscebant.

c. 1. § Præterea de
prohibit. seu. alie.

per Eride c. 1. § Si
autem de alien.
feud. pater.

c. 1. de cōtro. apud
par. termi.

Sonspec. 14 part.
regula 2.

c. 1. Si de inuestit.
controu. fuer. int.
dom. & Vafal.

Curt. 7. p. limi. 4.

c. 1. de contro. inter
Vaf. & aliū, &c.

c. 1. § Si Vaf. Si de
feud. defunct.

Quando autem controuersia super feudo inter dominum, & Vafallum, quos constat, vel vterque dicit se esse dominum, & Vafallum, tunc pares Curia: iudices erunt (pares autem Curia:, seu curtis illos esse dicimus, qui ex eodem territorio, ab eodem vniuersalis Curia: domino feuda tenent) etiam si isti iudices sint seculares, & alter, vel ambo litigantes Clerici. Hoc tamen non procedit, si dominus pares non haberet, vel alter litigantium eos in testes, si alij non superessent, producere vellet; tunc enim res tractabitur apud ordinarium, vel arbitros per litigantes eligendos.

Si verò controuersia sit inter Vafallum, & extraneum, vel alium Vafallum respectu feudi controuersi, diuersos dominos allegantes, vel de finibus, seruitutibus, vel id genus similibus qualitatibus,

tatibus, tunc ordinarius erit iudex. Quemadmodum & si inter dominum, & extraneum lis super re feudali moueatur, coram ordinario agitanda, & ventilanda erit: Quæ conclusio ex ijs, quæ circa proximas præcedentes regulas de iudicibus feudalibus diximus, satis declarata est.

*Zaf. 11. part. conclus. 5.
Sonspec. 14. part. reg. 4.*

LXXXIII.

Ea, quæ diximus de Iudicibus causarum feudalium intelligi volumus de iudicibus primæ instantiæ. Quod si verò in iisdem causis à domino, vel paribus Curia appellari contigerit, appellandum erit, ad proximiorè, superiorem dominū illius feudi, & si rursus ab illo, ad magis superiorem, & vltimò ad Imperatorem, etiam si personæ, à quibus appellatur, essent Ecclesiasticæ, modò ipsum feudum non sit Ecclesiasticum, & superior secularis.

Pan & Dec in c. Ceterum de iud. Curt. 7. part. q. 11.

LXXXV.

Ad extremum, & illud addimus Iurisdictionem domini, & parium in causis feudalibus esse ordinariam, & delegabilem, non tamen prorogabilem, vt Vasalli eam sine consensu domini in causa feudali, vel alij eam ad causas non feudales prorogare queant.

d. e. ceterum, vbi DD.

DE RECIPROCA INTER VASALLVM,

ET DOMINVM OBLIGATIONE.

LXXXVI.

Tertius feudi effectus est, quod inter dominum, & Vasallum mutua, & reciproca nascatur obligatio, ità vt Vasallus domino ad ea, quæ iurat, & quæ fidei, securitatis, ac defensionis sunt, & è contra, dominus Vasallo, licet eidem non iuret, ad eadem obligatus teneatur, & sic ad paria iudicentur, quod tamen non ita perpetuum est.

c. 1. in fi. de forma fidel. Zaf in 7. part. s. 2. num. 56.

LXXXVII.

Hinc est, quod quemadmodum Vasallus feudum sine consensu domini, ita & dominus directum dominium sine consensu Vasallorum, nisi simul cum tota Curia, alienare non potest. Rursus, ex quibus causis Vasallus feudum amittit, & ad dominum reuertitur, ex iisdem dominus proprietate priuatur, & ad Vasallum redit: de quibus infra plura. Item, sicut Vasallus in causis feudi, inter dominum & Vasallum motis, non potest à domino exigere iuramentum Calumniæ, nec eum accusare, vel contra ipsum

c. 1. de prohib. feud. alien. c. 1. § Ex ead. de lege Conrad. c. 1. § Præterea de prohib. feudi per Frid. c. 1. vbi gl. & DD. Qual dom. propriet. feud. priuet.

*c. 1. § in quibus, ubi
Afflict. de consuet.
reft. feud.
c. 1. quò tēp. miles.
c. 1. de cap. Conrad.*

*c. 1. si facta. Si de
feud. defunct.
c. 1. §. Omnes filij.
Si defend. def. &c.
ubi Aluar.*

*DD. in c. 1. que
fuit j. caus. benefi.
amit.*

*c. 1. de no. forma
fidel.
Alu. inc. 1. §. Omnes.
Si de feud. de
funct. & ubi Affli.*

*And. de Iser. in d.
§. Omnes.*

*c. 1. §. E contrario,
de inuest. de re a
lic. fact.*

testimonium dicere; ita nec dominus. Item facta concessione in feudo nouo Vasallus inuestituram, vel eius renouationem, ubi casus acciderit, cum præfatione honoris, & debita reuerentia à domino petere, & sic ad iuramentum fidelitatis præstandum sese offerre. Sic è contra dominus eandem denegare non debet. Et si quidem Vasallus pluribus hæredibus relictis, decefferit, omnes domino fidelitatem, nisi feudum ad vnum ex diuisione hæreditatis paternæ peruenerit, vel vnus electus ad illud præstandum sit, modò non obstet aliqua specialis consuetudo loci, iurare debebunt. Et ex diuerso, si dominus pluribus hæredibus relictis decefferit, vti omnibus iuramentum fidelitatis, nisi directum dominium ad vnum per diuisionem deuenisset, vel omnes vnum, cui iuretur, elegerint, quibus casibus ei soli, vel nisi esset subfeudum, quo casu, solis hæredibus feudalibus iuramentum præstandum est. Ita omnes domini, nisi in dictis casibus specialibus illi soli, quibus solùm iuratum est, renouationem inuestituræ facere tenentur.

LXXXVIII.

Ex eadem obligatione descendit, quòd Vasallus, & omnes eius hæredes, si plures relinquat, domino seruire cogantur, & hæredes quidem, si seruitium sit diuisibile, consistens fortè in dando, tunc quilibet pro rato, fortè dando, seruiet. Si verò seruitium sit indiuisibile, putà ire ad bellum, tunc vnus ex ipsis hæredibus erit eligendus: Sed per quem, an per ipsosmet hæredes, vel dominum, quæstionis est? Nos domino electionem deferimus. Econtrà verò si dominus pluribus hæredibus relictis defunctus sit, illis, quibus iuramentum fidelitatis præstari debere diximus, etiam seruitia exhibenda erunt. Et si quidem pluribus seruitia præstari debebunt, tunc, si seruitia diuidi poterunt, vnicuique pro rato, sin minus, indigenti, & petenti, si verò plures indigeant, & petant, tunc Vasallo locum gratificationis relinquimus, ipsum hortando, vt seniori, & digniori seruiat, modò illi ad inuicem bella non gerant, tunc enim nullum eorum iuuare tenebitur.

LXXXIX.

Item Vasallus domino ad hoc tenetur, vt feudi conditionem non deteriorem sine eius consensu, vel agnatorum, qui ei succedere possent, sed meliorem facere possit, & debeat: Hinc consequitur, quòd Vasallus arbores frugiferas in feudo non incidere,
ncc

nec feruitatem in præiudicium domini, vel agnatorum possit imponere: sicut econtra dominus eiusdem feudi conditionem in præiudicium Vasalli deteriorem facere non debet.

X C.

Quartus effectus feudi sit, quod Vasallus tradita sibi possessione feudi, illius vtile dominium, seu ius in re feudali consequatur: Cuius ratione habet vtilem rei vendicationem, & alias actiones, de quibus superius diximus. Item quod incrementum quod feudo per alluuiationem accedit, modò dominus in curte, vel re, nihil sibi reseruauerit, lucrifaciat, etiamsi de eo non sit speciatim inuestitus.

c. 1. §. 1. de inuest. de re alie. fact.

c. 1. §. si quis de majo. Si de inuest. contro. fuer.

X C I.

Similiter ratione prædicti vtilis dominij, Vasallus fructus ex re feudali suos facit, & ad hæredem suum transmittit, qua tamen in re ita distinguimus, an Vasallus extremum vitæ suæ diem clauserit post martiū ante tamen Septembrem; an verò post Augustum, ante tamen Martium menses, vt tunc priori casu, omnes fructus, etiam pendentes ad suos hæredes, qualescunque illi fuerint, transmittat: Posteriori verò casu, ad illum, ad quem feudum transit, fructus pertineant. Vinum tamen, & oliuas, quæ mense Septembri vixdum aliquandò maturuere non sine ratione ad defuncti Vasalli hæredes, non autem ad eum, ad quem feudum vadit spectare debere asserimus. Et hæc de feudi effectibus satis, plura adhuc dici, & hinc inde per discursum dicta videri poterunt.

c. 1. §. his consequenter. Hic finit. lex.

Sonspec. 10. part. comment. feud.

QVIBVS EX CAVSIS FEVDA

AMITTANTVR.

X C II.

Quia supra dictum est, quibus modis feuda acquiruntur, & retinentur, & nonnunquam iterum perduntur: nunc videamus, qualiter amittantur. Quamuis autem olim feuda, ad placidum dominorum Vasallis etiam absque causa auferri poterant: tamen paulatim ad id roboris peruenerunt, vt hodie domini absque legitima causa, ac culpa conuicta, probata, & per pares Curia, seu iudicem laudata, feuda Vasallis auferre, & eos de eisdem eijcere, & priuare nequeant.

De his tit. in quib. caus. feud. amitt.

Que fuit 1. causa benef. amitt. Quib.

mod. feud. amitt. vbi DD.

c. 1. quibus mod. feud. amitt.

c. 1. §. Et quia. quib. feud. dar. pos.

c. 1. de feud. sine culp. non amitt. c. sancim. quo tempo. miles.

X C III.

Et si autem vna causa generalis amissionis feudorum sit illa,

c. 1. in quib. caus. feud. amitt.

d 3

quæ

quæ ingratitudo nominatur, tamen sunt multæ speciales, & particu-
 lares, quæ teste Oberto de Orto sub aliqua certa regula, aut de-
 finitione rotunda non possunt comprehendi: non enim quælibet
 ingratitudo, vel omnis occasio, per quam fidelis accepti beneficii
 videtur ingratus, sufficit ad priuationem feudi, sed sunt quædam
 (vt dicit idem Obertus) egregiæ ingratitudinis causæ, quibus be-
 neficium secundum mores Curiarum solet adimi. Et sanè secun-
 dum Franciscum Sonespicium, feuda septem modis præcipuis:
 primo modo contemnendo dominum, secundò merè delinquen-
 do, tertio quasi contemnendo, nempe feudum alienando, quartò
 refutando, quintò ex defectu, sextò præscriptione, septimò morte
 amitti solent, quos paucis explanabimus, sequentibus conclu-
 sionibus.

parte 12. cõment.
 in vsus feud.

XCIII.

c. 1. quæ fuit 1. caus.
 benef. amitt.
 c. 1. de cap. Contra.
 s. 1. quo temp. mil.

Prima itaq; ingratitudine contemnendo dominum Vasal-
 lus, vel eius hæredes amittunt feudum, si mortuo domino ab eius
 hæredibus, vel mortuo Vasallo, eius hæres à domino, vel eius hæ-
 redibus, si paganus sit, intra annum, & diem; sin verò miles, intra
 annum, & mensem (quod tempus dominus abbreviare non pote-
 rit) inuestituram non petat, præstando fidelitatis iuramentum:
 Quod si vnus agnatus sui feudi antiqui partem alteri vendat, vel
 per delictum amittat, ille alter, qui talem partem acquirit, tene-
 tur prædicto temporis spacio eius inuestituram petere, & hoc in
 feudo antiquo: In nouo verò, de quo Vasallus verbaliter, seu ab-
 usuè inuestitus est, si tribus vicibus, septem fortè dierum spacio
 interposito, legitimè citatus à domino, vel paribus Curia, vt præ-
 stet fidelitatem domino offerenti realem inuestituram, contu-
 max extiterit, rursus ingratus feudum amittet. Et si Vasallus, vel
 eius heres hoc tempore inuestituram petere superfederit, eius mo-
 ram purgare non poterit.

c. 1. § Est & alia
 quæ fuit 1. caus.
 benef. amitt.
 Aluar. c. 1. quo
 temp. miles.

XCIV.

Gl. & DD in c. 1.
 quo temp. miles.

Hoc autem tempus ad petendam inuestituram ab initio, vt
 & postea, interueniente iusto aliquo impedimento vtile esse, &
 Vasallo ignoranti euenisse casum petendæ inuestituræ, non curre-
 re, dicimus. Et si Vasalli defuncti hæredem, infra prædictum in-
 uestituræ petendæ tempus, & quidem antequàm eam petierit, &
 obtinuerit, rursus mori contingat, quæri solet, an & ipsius hæres,
 rursus

rursum integrum tempus ad petendam inuestituram, an verò id reliquũ, quod ipsi proximè defuncto supererat, habeat? Et sanè in antiquo integrũ, in nouo, id, quod superest pleriq; ei concedi volunt: nos tamẽ cum Francisco Sonespecio, in vtroq; feudo integrũ tempus hæredi tribui debere, & veriũs, & æquius esse arbitramur.

Parte II. nu. 82.

XCVI.

Iustæ tamen causæ, & impedimenta, cuiusmodi sunt, mors pestis, incurfus hostiles, capitales inimicitia (modò culpa Vasalli non acciderint) captura, minor ætas vsq; ad maiorem, in qua doli capax est, iusta absentia Vasalli, & similes, Vasallum, quò minũs infra nominatum tempus inuestituram petat, excusare poterunt.

c. 1. quo temp. mil. vbi Præpos Afflis. & alij.

XCVII.

Secundò cotemnendo dominum Vasallus, si à domino, & Curia tribus vicibus, interposito spacio septẽ, vel decem dierũ, vel arbitrio Curia terminando, interpellatus, & citatus, vt de culpa à domino ipsi imposta, se purget, non venerit, feudi possessione priuabitur, quam tamen, si intra annum venerit, recuperabit, sin minũs, & ipsam & beneficium amittet.

c. 1. de milit Vas. qui com. u. c. 5.

XCVIII.

Item & tertio, si Vasallus euocatus à domino non excõmunicato, vel bannito à Rege, ad expeditionem militiæ, spacio competentem venire temerè superfederit, vel alium pro se mittere domino acceptabilem contempserit, vel dimidium redditus feudi vnus anni domino non subministrauerit, feudum amittit, nisi palam, & notorium esset, dominum iniustum, & irrationabile bellũ gerere, vel Vasallus esset impubes, vel dominus patriam, & ciuitatem, vel patrem, & filium Vasalli, nisi ij patriæ proditores sint, oppugnaret. Id, quod diximus Vasallum euocatum à domino ei feruire debere, ita intelligi volumus, vt si dominus eum vocare possit, sin verò ita obfessus esset, vt hoc Vasallo indicare non possit, tunc, & quando domino ignoranti grande periculum imminere sciret, Vasallus vltrò venire, & domino nunciare deberet.

c. 1. § Firmiter vbi DD. de prohib. feud. alie. per Fr. Sonespec. 12. part. conclus. 4.

c. 1. licet. Si de fen. defunct. contro.

XCIX.

Sed hoc ipsum magna est in controuersia positum: an si cùm sciatur, & palam sit, dominum alicui irrationabiliter guerram facere, Vasallus eum saltem, quo ad eius defensionem, nõ autem alius offensionem iuuare teneatur? Nos cum Matthæo de Afflicis, Vasallũ, nec quo ad domini defensionẽ eum, sub pœna amissionis feudi

in c. 1. Hic finit. lex. &c.

feudi iuuare tēneri, nec textum ē. i. Hic finitur lex, &c. si recte inspiciatur, contrariam, sed potius nostram sententiam, secundum Obertum, & Gerhardum melius sentientium probare asserimus.

C.

c. 1. quib. mod. feu. amitt. vbi Bal. & Aluar.

Non autem satis est Vasallo ad hoc, ne amittat feudum, vt ad bellum à domino vocatus venerit, ipsumque iuuare cæperit, nisi strenuè militando, & iuuando, apud ipsum perseuerauerit, & non priusquam dominus mortuus, vel ad mortem, vel ipse sic, vel taliter vulneratus sit, vt dominum amplius iuuare non possit, auferat: nam si hoc fecerit, etiam si iterum redierit, vel dominus vicerit, nihilominus feudum amittere debet: hoc idem esse putamus in priuata pugna.

CI.

Alua. in c. 1. de no. forma fidel. Sonsp. 11. part.

§ firmiter. de prohibitione feu. alie. per Fride.

c. 1. licet & ibi Al. Si de feu. defunct.

Sonsp. d. loco.

Debet verò Vasallus suis sumptibus, si de hoc in inuestitura, vel speciali loci consuetudine, nihil cautum reperitur, & feudum ad seruitium exhibendum sufficiens sit, domino seruire in propria terra, vel extrà, contra hostes Imperij, vel comitando dominum euntem cum Imperatore pro suscipienda corona Romam. Ad domini autem debita soluenda, vel ad dominum pro debitis captum redimendum, vel eundem alendum; nisi pro ipso Vasallo debita contraxisset, vel vniuersa bona in feudasset, vel maximum feudum esset, non tenetur. Et multò minus domino pro filia nuptui danda, aliquid contribuere debet.

CII.

c. 1. § Sed non est. Que fuit 1. caus. benef. amitt.

d. c. 1. § Item qui dominum.

Rursus, non est alia iustior causa feudi amittēdi, quam vbi Vasallus, si potest, recusat, id facere, propter quod illi datum fuit, vel si domino iustitiam facere neglexerit, quia & tunc tanquam ingratus meritò feudum amittere debet.

CIII.

d. § Item qui do. minū. & c. 1. § ad hoc. Hic finit. lex.

Secundò principaliter Vasallus amittit feudum delinquendo, & quidem primò, si dominum in prælio deseruerit, de quo paulò antè diximus, Secundò, si domino periculum circa personam, vel circa bona grauem iacturam imminere sciuerit, ipsum, quàm primum potest de eo certiorare, vel si domino nunciare nequeat, periculo, & damno resistere debet, aliàs vt ingratus, feudum priuabitur.

Tertiò

CIII.

Tertiò fidelis amittit feudum delinquendo, si cucurbitauerit dominum viuentem, id est, cum vxore eius etiam volente concubuerit, vel concumbere se exercuerit, aut cum ea turpiter luserit, vel alteri hoc facienti opem tulerit, quod idem esse putamus, si hæc cum concubina, vel sponsa domini, nisi ignorans, fortè, quia prædictas fœminas suo in lecto reperiens fecerit. Idem erit, si domini, vel dominæ filiæ, vel nepti ex filio, vel nurui, aut forori in domo adhuc manenti, quæ in capillo dicitur, sese immiscuerit; Si tamen Vasallus cum proximè dictis personis concumbere se exercuerit, vel cum eis turpiter luserit, feudum non amittere censemus,

c. 1. § Itē fidelis. quib. feud. amitt. c. 1. quot. test. sunt. neces. ad prob. seu. ingrat. vbi DD. Sonspec. 12. part. c. 1. § rursus. Que fuit 1. caus. benef. amitt.

CV.

Quartò similiter Vasallus, si dominum assalierit, vel si castrum, vel vicum proprium domini, vel alienum sciens dominum, vel dominam ibi esse, per vim aggressus fuerit, vel impias manus in personam domini vbicunq̃ ingesserit, vel alias graues, vel in honestas iniurias intulerit, vel morti eius veneno, vel gladio, vel aliter insidiatus fuerit, vel hæc per alium fieri curauerit, nisi ea animo se defendendi fecerit, vel iuuando antiquiorem dominum, vel Imperatorem iustum bellum gerentem, beneficium amittit.

c. 1. § Item qui. Que fuit 1. caus. benef. amitt. c. 1. § similiter. quibus mod. seu. amit. c. 1. quot. testes sunt. necessarij ad prob. feud. ingrat. c. 1. § illud de prob. hib. seu. alien. per Frid. Sonspec. d. 12. part. c. 13.

CVI.

Quintò, si Vasallus cum inimicis domini, amicitias suas copulerit, atq̃ in alijs sic versatus est, vt potius inimicus, quàm fidelis esse credatur: Item si delator domini sui extiterit, & per suam delationem graue dispendium eum sustinere fecerit, vel si cognouerit dominum inclusum, & eum, cum potuerit, non liberauit, feudum perdit. Id tamen, quod de domino incluso dictum est, non ità accipi volumus, vt Vasallus eum sua pecunia liberare cogatur.

c. 1. Quot. test. sunt. neces. ad prob. seu. ingrat. c. 1. § Item si delator. Que fuit 1. caus. benef. amit. c. 1. licet. Si de feud. defunct. cōtro. fuer. vbi not.

CVII.

Sextò, si Vasallus dominum, nisi eum ob id, quod principem, patriam, vel Rempubicam prodidisset, vel tanquàm aduocatus fisci ex necessitate officij sibi iniuncti, vel suam, suorumq̃ delationem prosequens, accusauerit, vel fideiussor, vel instigator accusantis dominum fuerit, aut contra dominum in causa non feudali testimonium non coactus dixerit, vel aduocatus voluntarius

c. 1. § in quibus, de consuet. rect. feud. gl. in c. 1. § Itē si delator. Que fuit 1. caus. benef. amit. vbi Aluar.

e

extite-

ext iterit, vel malè iudicauerit, feudum amittere debet: hæc tamen, quæ de testimonio, aduocatia, & iudicio diximus, ad causas graues referenda putamus.

CVIII.

*o. 1. § similit. quib³
mod. feud. amitt.
o. 1. An ille qui in-
terfec. frat. dō sui.
o. 1. § fil. Que fuit
v. caus. ben. amitt.*

Septimò, si Vafallus interfecerit fratrem suum, vel nepotem, id est, fratris filium: nisi casu id fieret, secus si fratrem domini, nisi in odiū domini occiderit, vel aliquē, ex quo parricida dici posset, vt feudum solus habeat, vel hæreditatē, vel hominem tradiderit, vt in curia ampliùs stare non possit, priuabitur beneficio. Et id quod de fratris occisione diximus, extendimus, vt si frater tantum tyrannus ipse fratrem suum incarceraret, vel per tyrannum capi faceret, vt verisimiliter periculum vitæ ex tali captura immineret, feudum quoq; amittat.

CIX.

*Aluar. & Schenck
o. 1. § Item si fidelis
quib. mod. feud.
amitt.*

Octauò, si Vafallus scienter nepharias, atque incästas iure ciuili sic dictas nuptias contraxerit, feudum amittet.

CX.

*o. 1. § Insuper de
prohib. feud. alien.
per Fride.*

Nonò, si Vafalli filius, aut eius domestici, in dominum tale delictum committunt, ob quod feudum amittitur, debet Vafallus eos ad dominum deducere, vt illi faciant satis pro offensa, vel eos à se (excipimus tamen vxorem) separare, alioqui feudo priuabitur; & filius, vel alius domesticus, qui mortuo Vafallo in feudo succedere posset, si contemnit satisfacere domino: ipse Vafallo defuncto non succedit, nisi priùs satisfecerit domino. Idem quoq; est, si Vafalli Vafallus maiorem dominum offenderit, nam & tunc Vafallus suum Vafallum deducere debet, vt domino suo pro offensa satisfaciat, aliàs feudum amittit, & si Subuafallus hoc facere recusat, ipse feudum perdit, & ad dominum à quo ipse feudum habet, reuertitur, nisi iste Subuafallus hoc pro seruitio alterius domini sui, quem sine fraude ante habuit, vel pro se, Imperatore, patria fecerit.

*Iacob de S. Georg.
in inuest. feu. verb.
distiq; Vaf. nu. 11.
Sonspec. 12. part.
conclus. 13.*

CXI.

*o. 1. quib. mod. feu.
amitt.
o. 1. si fuerit. de leg.
Conrad.
o. 1. § Vafal. Si de
feud. defunct.*

Decimò, si Vafallus, credentiam, seu secretum domini sui ad eius damnum scienter manifestauerit, à feudo cadit, vel si feudum, aut feudi partem, aut eius conditionem fraudulenter, id est, sciens inficiatus fuerit, abnegato expoliabitur.

An

CXII.

An autem, si ex conuentione, seu pacto ex feudo Vasallus pensionem aliquam, seu canonem soluere teneatur, & per triennium non soluerit, à feudo cadat, quæritur? qua in re diuersæ sunt doctorum opiniones: Nos eam quæstionem multum facti habere censemus, an partes præcipuè ad fidelitatem, honorem, & amorem, an verò ad ipsam pensionem respexerint, vt nõ primo, sed secundo casu, propter non solum canonem per triennium à feudo cadat Vasallus.

Iaf. in prelad. feud. nu. 57. Iacob. de S. Georg. in inuest. feud. verb. & cū pacto.

CXIII.

Vndecimò, si Vasallus rem feudalem, inordinatè tractaret, seu notabiliter deteriorem redderet, & à domino suo admonitus non respuerit, sed in sua perdurauerit insolentia, beneficio exui poterit.

c. 1. § publici. de pac. senend. & eius violas.

CXIII.

Quando Vasalli bona omnia confiscantur, magna est contentio inter Doctores, an & tunc feudo Vasallus priuetur? nos eum non, nisi ex tali delicto confiscata bona fuerint, propter quod alias feudum amitteret, vel domino seruire non posset, illud amittere putamus.

Aluar. in § fin. conclus. 35. Que fuit 1. caus. benef. amitt. Iacob. de S. Georg. in inuest. verb. dist. Etiq. Vas. nu. 62.

CXV.

Duodecimò, ex omnibus ijs causis, propter quas filius exheredari, matrimonia rectè contracta solui, & donationes iure perfectè reuocari possunt, vel his similibus, vel maioribus, Vasallo feudum auferri poterit. Item si Vasallus delinquendo faciat contra contenta in iuramento fidelitatis.

c. 1. § Prædictis. Que fuit 1. caus. benef. amittend. vbi DD. gl. in c. 1. § similis. quib. mo feu. amitt.

CXVI.

Decimotertiò, Vasallus per fractam pacem publicam omnia feuda amittit, secundum constitutionem de pace publica Inuictissimi Imperatoris CAROLI QVINTI, felicissimæ recordationis in Comitijs Wormatiensibus Anno 1521. latam, vbi hoc fuis declaratur.

CXVII.

Declaramus autem omnes istas causas amissionis feudorum per delicta, vt si quidem Vasallus plura, vel vnum feudum à diuersis dominis habeat, & contra vnum delinquat, ipsius, sed non alterius feudum amittat, nisi delictum tale esset, ob quod omnia feuda

Iul. Clar. § feudum q. 53. lib. 4.

Bald. in c. 1. col. 4.
quib. mod. feud.
amitt.

feuda amittere deberet. Similiter, si ciuitas, vel communitas, puta Capitulum, Collegium, &c. feudum haberet, & pars ciuitatis, vel communitatis delinquat, ob huiusmodi delictum feudum non amittet, nisi prælatus, vel administrator tale delictum perpetraret: nam tunc ipsis viuentibus feudo priuaretur.

CXVIII.

§ fin. Que fuit 1.
caus. benef. amitt.
c. 1. Qual. olim feu.
alien. pot.
c. 1. de prohib. feu.
alien. vbi DD.
c. 1. de Vasal. qui
cōtra cōst. Lotha.

gl. in c. 1. Hic finit.
lex. &c.

Zaf. in 10. part.

Curt. 4. p. feu. q. 14.
c. 1. & donar. Qual.
olim feu. alie. pot.
Sonspec. 12. parte.

Iacobin. in inuest.
verb. & cō pacto.

Tertio, principaliter Vasallus quasi contemnendo dominum, nempe alienando feudum amittit, qua in re multæ, & diuersæ consuetudines, singulis in Curijs olim obseruabantur: hodie tamen nulli Vasallo scienti rem esse feudalem, licet feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorarè, vel quocunque modo distrahere, seu alienare, vel pro anima iudicare sine permissione illius domini, etiam proscripti, vel excommunicati, ad quem feudum spectare dignoscitur, in tantum, vt & venditor, & emptor malæ fidei, qui tam illicitas alienationes reperti fuerint, contraxisse, feudum, vel eius partem alienatam amittant. Bonæ fidei autem emptor, feudi pretium, si feudum ipsi Vasallo, quamuis & ipsi domino restituere queat, quo casu pretium perdit, reddat, recuperare potest, nec seruitutem feudo in scio domino imponere, nec illud in dotem pro filia, nec in solutum, nec in compensationem, nec in emphyteusin, vel libellum dare, vel ad longum tempus, quod decem annorum esse dicimus, locare, nec permutare possit, nec dominus ad præstandum consensum etiam requisitus consentire cogatur: Alienationes verò ipso iure sint nullæ, & præteritæ cassatæ, & irritatæ nullius temporis præscriptione impediende: Scriba autem, qui hoc instrumentum sciens conscripserit, post amissionem officij cum infamiæ periculo manum amittat. Tunc autem Vasallus censendus est feudum alienasse, si vel verè, vel fictè illud tradidit, possessionemque, & dominium vitale in alium transtulit.

CXIX.

Bald. in l. 2. C.
cōm. de legat.

Zaf. p. 10. cōcl. 4.

Id tamen, quod diximus Vasallum feudum sine consensu domini alienare non posse; restringimus, vt pro necessitatibus ex causa feudi incumbentibus, & pro seruitijs domini alienari, item, per prætorem in eo pro executione sententiæ contra Vasallum latæ pignus quamdiu Vasallus viuit, vel ius in feudo retinet, constitui queat.

Item

Item, vt Vafallus illud in feudum rectè non alia lege, nisi qua ipse habet, det, si secunda persona sit talis, quæ feudo seruire possit, vt si dans miles est, & ille, qui accepit feudum inueniatur miles, ad hoc, vt feudum si contigerit, domino similiter seruire, vt & prior possit: & hoc vt dare liceat in infinitum: In quibusdam tamen Curijs vltra tertiam personam feudi concessio non extenditur, vt cum feudum peruenit in quartam personam, ei auferre dominus possit, nec tamè Vafalli Vafallus, domini Vafallus dicitur.

e. 1. Qual. olim feud. alien. pot. c. 1. § Similiter. de lege Conrad. c. 1. § Illud. de prohib. feud. alie. per Fride.

CXXI.

Inde est, vt si Vafallus plures de feudo suo subinfeudauit, orta inter istos suos Vafallos controuersia, ipse secundum ea, quæ hac de re superiùs discernimus, sit iudex. Isti autem Subvafalli, tam diu tantum feudum hoc sibi datum retinere poterunt quam diu Vafallus dans, & eius filij viuunt, seu ius ipsius durat. Hoc tamen, quod de subinfeudatione diximus, non habet locum, si feudum esset in curte domini, vel illo in loco, vbi dominus distriktum, vel alium honorem habuerit, vel Vafallus in feudum haberet decimas ante Lateranense Concilium.

Curt. 4. p. nu. 85. Aluar. § fin. con. clus. 46. Quæ sunt 1. caus. bene. amit. c. prohibemus ext. de decimis.

CXXII.

Poterit autem Vafallus, super feudo, & eius iuribus cum aduersario suo, dummodò fraudulenter actum nihil sit, ignorante domino, transigere, vel in arbitros cõpromittere, quæ transactio, vel compromissum domino, vel agnatis agentibus ex proprijs personis, & iuribus, non Vafalli, non oberit.

e. Si Vafallus. Sã de feud. defunct. c. 1. de contro. inter Vafal. & alium. Zaf. 9. parte.

CXXIII.

Vafallus autem feudum in illum, qui sibi defuncto in feudo in omnem euentum successurus est, vel spem succedendi habet, alienare, vel ad alium, si loci consuetudo, vel statutum id ei permittat, transferre sine consensu domini potest.

Inl. Clar. § feud. q. 42. Curt. 4. part. q. 18. Sonsp. 12. nu. 94.

CXXIII.

Quod si autem in prima inuestitura, vel aliàs pacto comprehensum esset, ne Vafallus feudum alienaret, tunc putamus, illum nec permisis in casibus, in quibus diximus feudi alienationem licitam esse, alienare illud posse.

Iacobin. in inuest. verb. Et cũ pact.

CXXV.

*c. 1. de prohib. fen.
alien per Frid.
vbi DD.*

Cæterùm cum consensu domini Vasallus feudum nouum etiam absq̄ue consensu filiorum, & descendentium, nisi eorum contemplatione datum sit, vel obstet pactum; Paternum verò, seu antiquum cum consensu domini, & agnatorum eorum, ad quos beneficium quandoq̄ue est reuersurum, impunè alienare poterit, & siquidem alienatio sine consensu domini facta est, ipso iure nulla erit, sin verò tantùm sine consensu agnatorum, ipso iure valebit.

*Iul. Clar. § feudū.
q. 42.*

CXXVI.

*Bertrand. Capreo.
in c. 1. de prohib.
fen. alie per Frid.*

*Curt. 4 part. fen.
q. 6.
And. de Iser. in
d. c. 1.*

Magna est feudistarum altercatio, an dominus præfens, & tacens in alienatione feudi, censi debet consentire, an verò contradicere: nos à communi opinione feudistarum recedentes, eum pro contradicente habemus, sufficet tamen consensum domini subsequi, & post alienationem accedere. Quod si autem Vasallus pro vno feudo plures hubuerit dominos, omnium consensum necessarium esse dicimus. Quod si sæpius subinfudatio facta est, aliqui primi, aliqui vltimi, aliqui deniq̄ue omnium dominorum consensum requirunt; nos vltimam opinionem approbamus. Per consensum autem à domino ad alienationem præstitum simpliciter, ipsi in directo dominio, & iure suo præiudicium non putamus generari.

CXXVII.

*Gl. Aluar. And.
de Iser. in d. c. 1.*

Bald. in d. c. 1.

*c. 1. vbi DD. de
feud. nō hab. prop.
uas. feud.*

Et si dominus consentit, vt Vasallus certæ personæ, putà Titio amico suo feudum vendere possit, non poterit vigore istius consensus feudum in alium, quàm in Titium transferre, sed tamen obligare, & pignorare, item & partem vendere; Et hæredem quoq̄ue defuncti Vasalli impetrantis consensum, eadem facere posse arbitramur: Data autem licentia alienandi feudum, per contractum inter viuos, non poterit Vasallus illud per vltimam voluntatem alienare. Quod si quis ea lege alicui dederit feudum, vt ipse, & sui hæredes, & cui ipse dederit, habeat, vel simili modo, tunc ad alienationem faciendam, alium & nouum consensum domini non requirimus.

CXXVIII.

Ea, quæ superiùs, scilicet quod feudum sine consensu agnatorum non possit alienari, diximus, declaramus, quod isti agnati,
fine

sine quorum consensu feudum est alienatum, etiamsi defuncto Vasallo alienatori hæredes, & sine confectioe inuentarij extitissent, illud reuocare possint, secuti in hoc Arium pinelum.

part. 3. l. 1. nu. 97.
& seqq. c. de bon. mater.

CXXIX.

Quod si autem Vasallus cum consensu domini, & proximorum agnatorum feudum alienauerit in agnatum remotioris gradus, an huiusmodi alienatio agnatis mediij gradus, non consentientibus nocebit, ita vt non possint feudum postea reuocare è manibus remotioris agnati, quæstionis est? Nos eos alienationem reuocare posse censemus. At verò, si ad reuocationem feudi, & filij, & agnati alienatoris Vasalli concurrant, vtrique alienationem retractare volentes, quinam illorum præferendi erunt? communiter distinguitur, an alienatio facta sit consuetudine permittente, an verò refragante, vt illo casu filij, hoc verò agnati alienatoris in reuocatione præferantur? cui distinctioni subscribimus, ita tamen, vt filij viuo patre alienatore, cum pretij, ipso autem mortuo, sine pretij refusione, agnati verò alienationem consuetudine permittam post mortem alienatoris, consuetudine autem prohibitam alienationem statim sine pretij restitutione, reuocent.

Jacob. de Belusf. in c. 1. de prohib. feud. alien. per Fr.

c. Titius filios. Si de feud. defunct. c. 1. § hoc quoq; de succes feud. c. 1. § Et si de alie. feud. vbi D.D.

CXXX.

Ab hac tamen feudi alienati reuocatione filij, & agnati proximiores annali silentio, ex quo sciuerunt alienationem in remotiorem factam, vel per consensum; Vel si alienatio facta sit in extraneam personam spacio triginta annorū excluduntur. Agnatus autem consentiens alienationi, filijs suis non præiudicat, quominus ipsi reuocare possint. Si autem agnatus vult alienare feudum antiquum, & alius agnatus, iustum pretium, extraneus verò plus iusto pretio offerat, quæritur quis eorum sit præferendus? nos plus offerentem præferri debere arbitramur.

c. 1. § Titius. Si de feud. defunct. vbi gl. Aluar. gl. in § hoc quoq; vbi Bald. de succes feud. Aluar. in c. 1. § Sed per quos fiat in uestit.

CXXXI.

Porro illicitè alienans feudum, cadit solùm ab illa parte alienata, & alienans omnia sua bona, non censetur alienasse feudum, nisi nominatim expresserit: Nec Vasallus pro alienatione ijs in casibus, quibus ipsi licere affirmauimus, laudemium, nisi consuetum sit, prout consuetudines tales esse in quibusdam Curijs nouimus, dare cogitur.

c. 1. de Vas. qui cōtra const. Lotha. Gl in c. 1. § Callidis de prohib. feud. alien. per Friede. c. 1. § in generali. Si de feu defunct. Jacob. Cuiat. l. 3. feud.

Quartò.

*Iacobin. in inuest.
verb. & viii.*

Quartò principaliter Vasallus feudum amittit, si illud vel in gratiam alicuius, vel vt se à seruitijs eximat, vel in alium finem in manibus domini, refutat, eiq̃ue renunciat, quod Vasallus inuito domino, etiam si contractus feudi initus stipulatione sit firmatus, & Vasallus multis annis fructus feudi perceperit, facere potest, non restitutus fructibus, dùm tamen ista renunciatio, non nimis intempestiua sit, vtpotè si iam vocatus ad bellum, renunciare feudo velit: post refutationem tamen ad seruiendum domino non tenetur, sed eum quidem tunc offendere non debet.

*c. 1. in fi. de Vas. qui
cõtra cõst. Lotha.*

CXXXIII.

*Sonsp. in 12. p.
nu. 118.*

Verùm hïc non immeritò quæritur, cuinam feudum refutari queat? qua in re quatuor casus distinguimus; aut enim Vasallus refutat feudum domino, aut filijs, & descendentes suis, aut agnatis collateralibus descendentes ex primo acquirente, aut extraneo descendenti non ex primo acquirente: primis tribus casibus Vasallus hoc dictis personis, & quidem etiam inuito domino potest, sed quarto casu non.

CXXXIII.

*Aluar. c. 1. § fin.
Que fuit 1. caus.
benef. amitt.
c. 1. de Vas. decrep.
et at.*

*c. 1. § Titius. Si de
feud. defunct.
c. Si quis miles.
Constit. feud. dom.
Lotha. vbi Præ.
pos. & Aluar.*

Et si pater feudum nouum refutat domino, filijs, & descendentes, nisi eorum contemplatione sit datum, præiudicat, si verò sub conditione, vt filij sui inuestiantur, tunc in nullo ipsis præiudicatur, manet enim feudum paternum, vt alius alij, sine hæredibus feudalibus descendenti succedat, quin immò omnibus filijs præmortuis, feudum non ad dominum, sed ad patrem redibit: Antiquo feudo pater renunciando, nec filijs, nec agnatis, nec domino præiudicat, quin immò nec sibi, quò minùs præmortuis filijs descendentes, & agnatis, ad feudum admittatur, nisi omninò, vel ad hoc refutauerit, vt ille, cui refutauit, tanquam de nouo inuestiatur.

CXXXV.

*12. part. nu. 124.
c. 1. § rursus quib.
feud. mod. amitt.*

Potest autem Vasallus, qui feudum suum alteri subinfeudauit, in præiudicium subuefalli domino refutare, vel aliàs amittere. Quod si tamen facto suo Vasallus refutauit, vel amisit, eum subuefallo, etiam si expressum non sit, de euictione teneri debere cum Francisco Sonspicio æquiùs esse opinamur.

Quintam

CXXXVI.

Quintam principalem causam amissionis feudi esse diximus, *Sonspee. d. loco. Zaf. 8. par. nm. 68.*
 quando Vasallus ob aliquem defectum, vt quia mutus, surdus, vel aliâs inhabilis factus est ad seruiendum domino, feudum iam questum rursus amittit, qua in re id statuimus, vt siquidem Vasallus, posteaquàm feudum acquisiuit, ita fiat imperfectus, & inhabilis ad seruitia feudi præstanda, vt nec spes sit posse ipsum medicorum ope, & arte pristinæ sanitati restitui, feudum amittat, vt tamen ipse in ops ex eo magno alatur, & hoc ita, nisi in remunerationem magni præstiti beneficij, vt si dominum ab hostibus, vel latrunculis eripuit, datum, vel id pacto cautum esset, ne ob eam causam feudum auferatur.

CXXXVII.

Sexta principalis amissionis feudorum causa est præscriptio, *Iul. Clar. § feudâ. 1. 45.*
 qua de re, an scilicet feudum præscribi possit, quæstio est intricata. Nos more nostro aliquos casus considerabimus: aut enim agitur de præscribendo directo, aut vtili dominio. Primo casu, si Vasallus feudum sine consensu domini in tertium alienauit, non posse istum tertium vlllo tempore præscribere directum dominium contra dominum, asserimus. *c. 1. § præterea de cap. Conrad. vbi Assi. Beluis. & 1. ser.*

CXXXVIII.

Secundo casu rursus distinguimus, vel enim priuatus vult præscribere concessionem feudi, asserens se Vasallum, & inuestitum, vel è contra, dominus vult contra priuatum, præscribere Ius Vasallagij, dicens eum esse suum Vasallum; Vel vnus priuatus vult præscribere vtile dominium feudi contra alium priuatum Vel deniq; priuatus cupit præscribere non solùm feudum, & vtile dominiũ contra dominum, & Vasallum, verùm etiam directum, asserens, se illam rem habere, & possidere, non vt feudalem, sed vt allodiam.

CXXXIX.

Primo casu, Vasallus asserens se inuestitum, si vno anno domino sciente, & non contradicente feudum possedit, & iurauit, se, vel patrem suum inuestitum esse, vel decem sine iuramento præscribit quasi possessione feudi, quæ ipsi nisi dominus contrarium probauerit, non poterit auferri. Quod si verò per triginta annos, rem aliquam, vt feudum possedit, & seruitium domino exhibuit, *c. 1. § Si autem. Si de inuest. int. dom. & Vasal c. 1. § inde de consuet. rect. feud. c. si quis per 30 si de feud. defunct.*

f

hibuit,

hibuit, quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest.

CXL.

*Inl. Clar. § feudā.
q. 19. c. 1. 45.*

part. 12. nm. 165.

In contrario autem casu, quando dominus vult ius Vasallarij contra Vasallum præscribere, dictum tempus triginta annorum, ut & in casu tertio, ubi priuatus contra priuatum utile dominium vult præscribere, requirimus. In quarto verò casu, quando priuatus cupit præscribere & directum, & utile dominium contra dominum, & Vasallum, cum Francisco Somspecio, nullam etiam centenariam, & tanti temporis, cuius initij memoria non extat in contrariam, nisi domino sciente, & nõ contradicente præscriptionem admittimus.

CXLI.

Septima, & vltima causa amissionis feudi est mortis, per quam qualiter feuda amittantur, satis superque disseruimus superius in materia successioneis feudi.

CXLII.

*Carol. Molin. in
consuet. par. p. 1.
tit. 1. § 30. q. 26.*

Amittit autem Vasallus per ingratitude[m] non solum ipsum feudum, sed etiam augmenta, & meliorationes, quæ nec per se subsistere, & censi poterunt, ut omnia inædificata, quæ solo cedunt, & per alluionem adiecta, & similia. Tenetur etiam Vasallus, qui feudum per ingratitude[m] amisit, fructus omnes perceptos, & qui percipi potuerunt, siue extent, siue non; item siue sit locupletior factus, siue non, restituere cum feudo.

CXLIII.

*Carol. Molin. p. 1.
consuet. parif. tit. 1.
§ 30. q. 10.*

Præscribitur autem reuocationi feudi per feloniam amissi, si dominus sciens ingratitude[m] commissam in vita sua, vel Vasalli delinquentis, cum possit, non fuit conquestus de hoc, vel spatium triginta annorum præterlabi passus fuerit; & hæc ita, si dominus agere, secus si ipse possidens feudum excipere velit.

CXLIIII.

*Carol. Molin. p. 1.
consuet. parif. tit. 1.
§ 30. q. 28.*

Sed an si dominus Vasallo feloniam remittat, feudum dicatur nouum, an verò remaneat antiquum? qua in re communiter distinguunt DD. an ipso iure feudum amittatur, an verò non; ut primo

primo casu nouum, secundo ante sententiam antiquum remaneat, nos contra, vtroque casu, antiquum censendum putamus.

CXLV.

Quod si autem dominus ignoranter Vasallum, qui feudum per delictum perdidit, in fidem admiserit, eum inuestiundo, vel seruitia ab eo recipiendo sibi non præiudicat. Scientem verò dominum ingratitude, & feloniam à Vasallo commissam, posse remittere non est dubium, quod tamen in prælato Ecclesiæ, qui vnà cum Ecclesia offensus est, vt solus sine Capitulo remittere possit, non procedere existimamus.

Molin. d. loco q. 35

Curt. part. 1. 2 p. q. 26.

CXLVI.

Verum si per ingratitude Vasallus feudum amittit, non ipso iure eo excidit, sed requiritur sententia priuatiua, nisi per alienationem, & traditionem, vel hæresin, vel quia per assassinos Christianum interfici fecit, vel Episcopum percusserit, vel hoc mandauerit, vel opem facienti tulerit, vel communitas contra libertatem Ecclesiasticam statutum fecerit, vel Cardinalem S. E. R. offenderit. His tribus posterioribus casibus à feudis, quæ ab Ecclesijs habet, ipso iure cadit: istis tamen omnibus casibus requiritur saltem declaratoria sententia, nisi delictum esset notorium actu permanens, vt si Vasallus intrauit castrum domini, & eum oppugnat. Vnde illud consequitur, quod dominus in casibus feudi commissi, & amissi, non possit à prehensione, & manuum inuestitione incipere.

gl. fin. vbi Bald. & alij in c. 1 § item si fidel. quib. mod. feud. amitt. Curt. 4. p. nu. 155.

Iacobin. in inuest. verb. Et dist. Vas. nu. 35.

Vide c. 1. si Vas. feud. priuet. cui dese. c. 1. An ille qui interse. frat. dō. suū. c. 1 § si Vas. culp. Sē de feud. defuncti. c. 1 § fin. Quæ sunt i. caus. bene. amitt. d. § fin. & d. c. 1. An ille qui interf. frat. dom. Zas. 10. part. conclus. 3 & 4. c. 1. § firmiter de prohibitione feud. alie. per Fride.

FEUDA AMISSA AD QVOS REVERTANTVR.

CXLVII.

Restat, vt ad quos feuda amissa reuertantur differamus. Et quidem si Vasallus priuatus est feudo propter ingratitude, seu feloniam commissam in personam domini, seu quæ directò dominum respicit, tunc feudū siue nouum, siue antiquum, exclusis descendentibus, & agnatis, ad dominū reuerti asserimus, quod idem erit, si Vasallus indicta publica expeditione vocatus à domino suo in eadem expeditione spatio competenti temerè venire supersederit, vel alium pro se domino acceptabilem, mittere contempserit, vel dimidium redditus feudi vnus anni domino non submittrauerit, etiam non expectata morte delinquentis.

Sōspec. 13 p fall 1.

Alua § fin cōclus.

4. Quē fuit 1 caus.

benef. amit.

Bald in c. 1 Si Va.

sal. feud priuet.

cui defe.

Molin. tit. 1 par. 1.

cōsuet. paris q 36.

Hæc ita demum vera esse putamus, si nihil fraudis, & doli, ve filij, & agnati feudo immerito priuentur, à domino, & Vafallo commissum sit, vel si Vafallus non culpa domini in pœnam incidisset; Item patris delictum non oberit filio in feudo adhuc per auum viuentem possesso, vel si ex tenore inuestituræ constaret de mente concedentis, quod non velit delictum vnus alteri nocere, vel si feudum esset concessum generi alicuius, vel ad certas generationes.

CXLIX.

§ fin. Quē fuit 1.

caus. benef. amit.

6. 1. An ille qui fra.

dom.

Sōspec. 13 parte.

reg. 2.

Si verò Vafallus delinquendo, non directò contra dominum, sed alium, amisit feudum, tunc si nouum, ad dominum, si antiquum fuerit, ad agnatos collaterales proximiores à primo acquirente ortos, exclusis descendantibus, non expectata morte delinquentis redibit.

CL.

6. 1. § Si Vaf culp. Si

de feud defunct.

§ fin. vbi Alu con.

clus. 11. Quē fuit 1.

caus. benef. amit.

Sed magna est contrarietas, cùm inter feudistas, tùm textus feudales an agnati ex latere, vsq̃ue ad quartum gradum exclusiue à feudo in prædicto casu excludantur: nos negatiuam partem, & sic eos non excludi veriolem, & benigniorem censemus.

CLI.

d § fin. vbi DD.

Zaf. 10 p. nu 98.

Molin d. § 30 q.

36. part. 1. tit. 1.

cōsuet.

Atq̃ue hoc, quod de feudo nouo diximus, delictum patris, filijs, & descendantibus nocere, ampliamus, vt pater filijs in eo, per quamcunq̃ue amissionis feudi causam præiudicare queat, nisi feudum concessum sit patri, & liberis descendantibus, vel pro se, liberis, & descendantibus stipulatio facta sit, vel feudum sit conuentionale, quod lege contractus deferatur ad filios, aut certas generationes, vel personas, aut nisi delictum, vel culpa committatur pereum, qui adhuc nihil iuris habet in feudo, vtpotè auo adhuc viuente, quia non nocet delictum patris filio suo, in feudo auito immediatè succedenti auo.

CLII.

Iul. Clar. § feudũ.

q 84. lib. 4 sent.

Quod si Vafallus tale quoddam delictum committat, propter quod non solum allodialia, sed etiam feudalialia bona perdat, licet propria confiscentur, & ad fiscum deuoluantur; tamen feudum non ad fiscum, sed ad dominum, vel agnatos redibit.

Feu.

CLIII.

Feudum amissum propter alienationem factam, si nouum, ad dominum, sin verò antiquum, ad agnatos transibit, etiamsi post alienationem factam Vasallus illud recuperauerit. Et quamuis Vasallus feudum antiquum in dominum alienauerit, vel reuocauerit, non tamen agnatis præiudicare poterit, quin statim reddito pretio, vel post mortem alienantis sine pretio reuocare possint; In nouo verò præiudicat.

*Curt. 5. p. cōclus. 7.
Alua. d. 5. fin. Quæ
fuit caus. benef.
amitt. conclus. 19.
57. 39.
c. 1. vbi præpos. &
alij de alien. feud.
pater.*

CLIIII.

Quod si Vasallus alio modo, quàm per delictum amittat Feudum, rursus interest, an feudum sit nouum, an verò antiquum, nouum enim ad dominum, antiquum ad agnatos vadet. Quod si verò Vasallus sine facto culpabili, vt quia Clericus, vel aliàs imperfectus, & inhabilis efficitur feudum amittit, illud siue nouum, siue antiquum ad filios ipsius deuolui putamus.

*Curt. 5. p. cōclus. 5.
Sonspec. 13. part.
conclus. 4. 5. 6.*

CLV.

Si verò plures feudi domini fuerint, immediatus, & mediatum, vt quia sæpius subinfeudatio facta est, vtpotè primus Vasallus subinfeudauit secundo, secundus tertio, & sic deinceps, & vnus vltiorum Vasallorum feudum amittat, ad quem dominorum, an ad proximum, an verò ad primum, & directum deuolui debet dubitatur? Et nos, si per alienationem amittatur, ad primum directum dominum; si per delictum, ad proximum, & immediatum dominum reuerti debere censemus.

*gl. & ibi DD. in §
Illud de prohib.
sen. alie. per Frid.*

CLVI.

Fructus denique omnes feudi commissi, & amissi, à tempore, & die ingratitude, & felonix perpetratae, ei ad quem feudum redit, restitui debent.

*Zaf. d. 10. parte
nu. 74.*

DE DIRECTO DOMINIO FEVDI.

CLVII.

Denique & illud coronidis loco adijcimus, dominum ex omni feloniam, & culpa, vel in Vasallum, vel alium commissam, qua Vasallus feudum amittit, proprietate feudi priuari, nisi dominus feudum Ecclesix, vel pio loco pro anima, vel oblatione fidelium

*c. 1. Qual. dom.
prop. feud. priuati.
vbi DD
c. 1. § dño. Si de
fendo defuncti.*

§ 1. § Si verò de
alod.

Zaf. 9 p. 10.

§ 1. de capit. qui
Curiam.

daret, quo casu non solum directum, sed etiam utile dominium alienare potest, Vafallo tamen ad aliud feudum eiusdem quantitatis, & bonitatis tenebitur, vel nisi cum Curia, & territorio, vel per diuisionem alienaret. Sin autem prælatus Ecclesiæ per delictum amiserit feudum Ecclesiæ, ipso viuo Ecclesia feudo amisso carebit, mortuo verò recuperabit.

CLVIII.

§ 1. § domino com-
muniere. Si de feu.
defuncti. Vbi Frid.
Schenck. & alij.

Porro proprietas per feloniam, vel culpam in quemcunq̃e commissam perdita, ad ipsum Vafallum reuertetur, nisi in feudo Ecclesiæ, in quo prælatus Ecclesiæ solum, quoad ipse vixerit, præiudicabit, vt ipsa seruitijs Vafalli careat.

FINIS.



Senckenb.

mod. Institut.

...vile obsequium
...vile obsequium
...vile obsequium
...vile obsequium
...vile obsequium

...in gratiam
...in gratiam
...in gratiam
...in gratiam
...in gratiam

S.





